ΕΞΕΤΑΣΙΣ

IN

EPISTOLAM
SCIPIONIS MAFFEJI MARCHIONIS
AD
GISBERTUM CUPERUM,

De Fabula Equestris Ordinis Constantiniani.



VENETIIS.

Ex Typographia Montiniana, Expensis J. G. B.

cIↄ Iↄ ccxxv.

SUPERIORUM LICENTIA.



LECTORI BENEVOLO

J. G. B.



ANNUS jam tertius excurrit, ex quo N. N. celeberrimus, & omnigena eruditione Vir, mihique amicitia conjunctissimus, duas familiares, quas ab Amico suo acceperat, Epistolas, legendas mihi perhumaniter exhibuit. In quibus quid de Maffejano Libello, *De Fabula Equestris Ordinis Constantiniani*, sentiret, Amico familiariter scripserat. Eas ubi primum perlegi, luce dignissimas censui, ac Clarissimum Virum, ut Amicum suum ad ipsas edendas hortaretur, enixe rogavi. Quod cum difficulter ab Amico impetrari posse, persuasissimum haberet: Tamen, ne desiderio meo, ac Reipublicæ Litterariæ bono simul deesse videretur, facile passus est Amicum suum & monere, & hortari, ne eruditas hasce Epistolas inter Schedas suas diutius occultas sineret. Ille vero hortatui, ac monitis de hac re

non

non eſt aſſenſus : Immo pœnituiſſe eſt viſus, illas etiam Amico expendendas tradidiſſe, quas perpetuis relegandas tenebris judicaret. Ejus mentem cum accepiſſem ; ne occaſio effugeret, Epiſtolas ambas ſtatim Amanuenſibus exſcribendas tradidi, ut eas vel invito Auctore aliquando in Publicum emittendi mihi facultas eſſet. Proximis diebus ſupralaudatus Amicus meus alias duas ejuſdem Auctoris Epiſtolas, prioribus longe breviores, iterum mihi obtulit viſendas. Quarum una Gaſparis Scioppii Epiſtola ad examen revocatur ; altera quorumdam impoſtorum Sycophantiæ notantur. Has in unum collectas, provide factum putavi, ſi eruditorum uſui vulgaſſem. Tu illas lætus accipe, Benevole Lector, & ſi forſitan aliqua labe coinquinatas videbis, exſcriptoris imperitiæ tribue : Dicendi genus minus expolitum ne faſtidias ; Accuratiorem enim in rerum examine, quam in ambitioſo verborum delectu fuiſſe decuit. Bullarum, Diplomatum, Inſtrumentorum, Epiſtolarum, Chirographorum, Chartarum, reliquorumque documentorum ἀνάλεκτος, quæ paſſim in Epiſtolis citata ſunt, deſideratur. Hæc edere non licuit, cum nec explorandi mihi poteſtas fuerit. Hæc, ut conſentaneum erat, præmiſi, tum rationem conſilii mei redditurus, tum ne Auctoris cauſſam indefenſam omnino relinquerem. Vale.

Dabam anno 1724.

M. L.

Ad

pr.

Al

:i
it-
m-
ru-
ied
nis
cas
ofe-
en-
pa-
, si
scu-
eju-
om-
for-
tes,
aspe-
ibel-
nem,
enda-
ven-
a no-
erita-
:, se-
s om-

... potius incogitantiae, qui incaute
alienos errores ultro adoptaverit. Sed hujus libelli frontem inspiciamus : In-

A scribi-

n
ei
p
ci
a:
d
ci
b
A
ri
ri
te
ta
pi
tu
la
tr.
di
in
lai
lai
rui
Ep
lic
Ha
tioi
cau

n *anno* 1724.

M. L.



M. L.

Nob., & *Clarifs. V. C. I. R.*

S. P. D.



AGNA mihi semper, Clarifs. Vir, opinio fuit, Scipionem Maffejum omnis omnino eruditionis apicem attigisse, ejusque doctrinam excellentem, auctoritatemque summam ita sæpe laudavi, & probavi, ut me erudiri facilius, quam ab eo decipi posse putarem. Sed cum forte libellus quidam, *de Fabula Equestris Ordinis Constantiniani* inscriptus, Maffejo auctore, ad meas manus pervenisset, eumque legissem: Hæc profecto visa est mihi nec moderata, nec recta scribendi ratio; sed paullo asperior, quam veritas rerum patiatur. Non erit profecto tibi hoc novum, neque tecum agerem de hac re, si putarem, apud te, dum nobilissimæ Angelorum familiæ, quæ in hoc opusculo præcipue laceratur, defensionem suscipio, Maffeji nomen pro aliquo præjuditio valere. Nemo certe sanæ mentis erit, qui virum celebrem vituperare omnino audeat: sed si aliquando peccavit, quilibet in quo peccavit, & conformare, & emendare poterit. Finxit natura hunc hominem ad omnes virtutes, doctrinam, ac eruditionem aptissimum; formavit verò Philauthia durum, asperum, nimiumque in accusando confidentem. Et quoniam de hoc vulgato libello multa mihi dicenda sunt, te oro, Illustrifs. Vir, si meam moderationem, modestiamque cognosti, ne me imposterum, cum istius maledicta, & mendacia refellam, oblitum esse mei putes. Ut igitur suas malas merces nobis venderet, aliquod integumentum, quo operirentur, ei erat inveniendum. Ita nobis in obscura caligine, ut ipsi videbatur, ambulantibus, lumen, quo veritatis semitam patefaceret, præferre spopondit. Facem ergo, quam præfert, sequamur, & videamus, an iste sit ille homo ita sapiens, qui sycophantias omnes, & fabulas detegat, & convincat, vel potius incogitabilis, qui incaute alienos errores ultro adoptaverit. Sed hujus libelli frontem inspiciamus: In-

ſcribitur, *De Fabula Equeſtris Ordinis Conſtantiniani*. Quis ergo Fabulam hanc confecit? Maffejus nobis indicat. *Fratribus* (*a*) *iſtis* Andreæ, Hieronymo, Joanni, & Paullo Angelis, *præclaram Conſtantiniani Ordinis Machinam omnino debemus, ab iis ſiquidem a fundamentis excitata, & ad umbilicum inventis pluſquam poeticis perducta, amplianda, ac propaganda poſteris ſuis patrimonii loco legata eſt. Quod heredes abunde præſtiterunt, præcipue plurimorum diplomatum, actorum, inſtrumentorumque ſubſidio, quæ non ſemel typis vulgantes, ſpargenteſque in vulgus, tum de hujus Ordinis antiquitate multitudini impoſuerunt, tum principibus etiam, ut videbimus, eruditorum in parte aliqua fucum fecerunt*. Sic Angelos iſtos extorres, & Turcicam barbariem fugientes, ex Drivaſto in Italiam profectos, ut maleſuadam paupertatem aliquo modo a domeſticis laribus depellerent, quæſtuoſiſſimam falſorum Actorum, & Chirographorum officinam fabricantes, ac generi ſuo alioqui neglecto, & humili aeriam nobilitatem, & imaginarias dignitates imponentes, fabellam hanc conſtruxiſſe contendit. Huic accuſationi, ſi veritatis amore niteretur: aut ſi cum Cangio, cujus doctrina eſt uſus, moderationem non eſt imitatus, modeſte ſe geſſiſſet, eſſet ignoſcendum; & aliquam haberet excuſationem accuſator, niſi, remoto pudore, maledicentiam, mendacia, erroreſque, omnia nimis avide hauſta, nimis libere evomuiſſet. Sed huic non modo nihil ignoſcendum, ſed etiam acriter eſt reſiſtendum. Et prius mihi de antiquiſſimæ hujus, atque illuſtriſſimæ familiæ dignitate controverſia dirimenda eſt. Quod cum præſtitero: exinde quædam fortaſſe de Conſtantiniana Militia dicam. Cum Cangio agam levius, quod modeſtia ſua moderatur reſponſioni meæ: Aliquanto autem liberius Maffeji obtrectationes refutabo. Prius Cangium, poſterius Maffejum audiamus. Generis recens origo, & inferioris ævi, quod imperiali Angelorum familiæ non convenit, & (*b*) *ex Drivaſtenſi in Albania oppido* Angelis noſtris objecta eſt. *Qui etſi nobilitate aliqua revera fulſerint, illuſtria, ac indebita aſſumpſere nomina, & Ducum, vel Principum imaginarias dignitates, tanquam ampla, & à parentibus accepta, Provinciarum, ac Civitatum patrimonia poſſiderent, aut aliquando poſſediſſent, pudore omni poſito, ſibi aſſeruere, intercedente interea nemine, qui vanos hoſce titulos oppugnaret*: & infra: *His accenſendi omnino Nobiles quidam Itali, ex Græcanicarum, uti volunt, gente exorti*, (*c*). Anzoli, *vulgo cognominati, ex Drivaſtenſi in Albania oppido exorti: Nam etſi fatendum, eorum ſtemma nobilitatis quadam præferre inſignia, illud tamen intolerandum videtur, quod Imperatoriarum familiarum cognominibus, ac dignitatum imaginariis titulis pro libitu commutatis, quas vel ii, nec deceſſores unquam poſſedere, corvi inſtar Æſopici, alienis ſcilicet pennis ſeſe adornarint*, ructantes Semideum propinquitates, *ut utar verbis Sidonii*. Hactenus eruditus Gallus, qui ut fucum aliquem dictis iniiciat, ſermonem ſuum hiſce verbis exorditur. *Miram, ac incredibilem, quoad Græcanicas familias confuſionem peperit; attulitque Orientalis Imperii à Turcis invaſio*. Nunc Cangii criticam intelligo. Dum in hac

(a) *Maffejus epiſt. ad Cuperum* §. 5.
(b) *Du-Freſne De Famili Byzant. num.* 33.
(c) Anzoli, *Venetus Idiotiſmus eſt*.

in hac familiari eruditione nimis oculatus haberi vult, tempori, & Orientalis Imperii vastationi, doctrinam, seu potius, errorem suum accommodat: Et quasi tota Angelorum Imperialis familia in uno Joanne, cognomine Duca Comneno, dignitate Sebastocratore, sub initia decimi quarti saeculi desiisset, alteram Angelorum genealogiam à quodam Michaele Angelo, Nobili Drivastensi, redorditur, & usque ad Joannem Andream, Petri ex Lucretia Bevulca, Nobili Mediolanensi filium, texit. In qua, licet ad aetatem nostram in Italia florenti, quod facilius fuisset, quam in aliis remotiorum saeculorum caligine, regionum orientalium distantia, provinciarum, & urbium eversione turbatis, errores vitare, ita in plures incidit. Ex quibus noscere possumus, eruditionem hanc domesticam nemini, extra domesticos parietes versanti, prorsus assequi datum. Haec sunt, quae Ducangius ait. Quid quaeso addidit Maffejus, ut hanc familiam & concuteret, & everteret? Nisi verba contumeliosa, nullo consilio, &, ut ita dicam, nulla verecundia cohibente emissa. In triplicem statum Angelorum Constantinopolitanam familiam dividit. Priori tribuit (a) *ex ignota humilitate genus, quod vix circa dimidium duodecimi saeculi emersit, cum Constantinus Angelus, arridente fortuna, Imperatoriam uxorem sortitus est: hujus Patria Philadelphia, & de Patre ob obscuritatem non constat*. Secundum statum collocat, quando ad imperii fastigia ascendit (b) *Isaacius à seditiosa plebe Imperator salutatus*. Ad tertium reiicit Thessaliae, & Epiri Dominatum, cum (c) *Constantinopoli anno* 1203. *à Venetis, & Francis expugnata, in tumultuaria Imperii divisione, quae statim facta est inter expulsos, nepotibus ex Joanne, filio Constantini illius Angeli, de quo nuper, ditiones plures in Graecia contigere, in quarum dominatu ipsorum filii, & agnati, tum legitimi, tum nothi diu perstiterunt, Thessaliam praecipue, & veterem Epirum obtinentes, quorum posteritatem decimo quarto saeculo omnino desiisse, atque extinctam esse*, postremumque heredem *circa annum* 1306. decessisse, affirmat. Hoc est totum genus oppugnationis hujus, quae veritatem nullo modo mutare, nec argumentis detorquere potest. Haec omnia, testibus omni exceptione majoribus, rationibus omni luce clarioribus nos refellemus, & res cum re, caussa cum caussa, ratio cum ratione pugnabit. Quaenam igitur sunt Maffeji fundamenta? Nicetas, Gregoras, ~~Du-Cangius, ex quo~~ inter cetera Joannis Ducae obitum praecipue hausit; non vero ex aliquo Byzantinae historiae scriptore, quorum conscientia in libello suo conficiendo non est usus. Quod si aliquibus Nicetae, & Gregorae Graecis verbis libellum suum intertextum conspexisti: officinam novimus, ex qua ipsi fuere suppeditata: & de illo, qui hujus accusationis incitamentum, & particeps fuit, non ambigua & incerta promere possemus: nisi turpe, defunctis occulta objectare, & vulgare putaremus. Sed si quae defensionis necessitas dicenda exquiret, non exprobraturus, sed narraturus dicam. Nunc quoniam in vada, & scopulos incidisse videor, cursum aliquantulum deflectam,

A 2 ne

(a) *Maffejus Epistolae* §. 6.
(b) *Idem* §. *eodem*.
(c) *Idem* §. *eodem*.

ne subito ad saxa, scopulosque me fluctus ferant. Quapropter omnes familiæ istius gradus compendiose percurram, personasque singulas, quarum Græci annales, vigente adhuc Græco Imperio, aut ex proposito, aut fortuito meminere, in medium proferam, & cum Du-Cangii genealogia comparabo: & modo cum Du-Cangio decertans, modo ad Maffejum rediens, perfacile syrtes omnes me superaturum, spero. Tu quæso, Clariss. Vir, diligenter attende iis rebus, quibus veritas illustrari potest. Et quoniam ad Græcas Historias res tota traducta est, iis cum Maffejo primum congrediar, latinis annalibus, data opera, prætermissis, quorum celeberrimi, quotquot fuere scriptores, Isaacium illum Angelum, regali semine satum prodidere. Inter quos non postremum locum sibi vindicat, Sicularum Rerum illustris Scriptor, Facellus, hæc de Imperatore Isaacio tradens: (*a*) *Constantinopolitani cives Andronicum captum membratim in frusta discerpserunt, & Isaac quemdam, regia progenie exortum, e Peloponneso ad imperium extulerunt*. Cum Facello prætercam & Platinam (*b*), & Sabellicum, ceterosque omnes tum Venetos, tum Italos magni nominis scriptores, qui pari consensu de Isaacio honorifice scripsere, tacite Græcorum malignitatem coarguentes, quorum semper suspecta fides, & cum præcipue erga Isaacium male affecti fuerint, eo quia latini nominis amicissimus fuisset; *cujus* (*c*) *fida opera, fidoque hospicio* (*quod in aliis, qui eum præcesserant raro, ob insitum genti in Christianos omnes odium evenerat*) *Galli, & Germani Duces in Asiam transmissuri, nuper usi fuerant*, male de ipso locuti sunt. Ob id etiam, (*d*) *suadente Lucio Pontifice, una cum Gullielmo Rege ad repetendam Terram Sanctam ire decreverat, sed Pontificis obitu res interrupta remansit*. Optarem equidem, ut Græcos annales vidisset Maffejus; Nam vel provinciam hanc non sumpsisset, vel magis consideratus in corrigendo fuisset, & minus mihi oneris, negotiique imposuisset. Contendit enim (*e*) Angelorum *ex ignota humilitate genus*: & ut dictis suis fidem adstruat, Nicetæ locum in Manuele, de Constantino Angelo loquentis, prave citat, tum (*f*) *ex Constantino Andronicum, ex Andronico Isaacium, qui a seditiosa plebe Imperator salutatus est*, deducit. Si cum Maffejo contentio esset, ut ingenio suo morem gererem, omnia negarem: sed quia sibi fautorem quærit Nicetam, pauca etiam de Niceta dicenda occurrunt. Hic annales suos inchoavit ab obitu Imperatoris Alexii Comneni, qui anno 1117. vel 1118. contigit, scripsitque ad captam usque a Francis, & Venetis Constantinopolim: Nec ὁμόχρονος fuit Constantino Angelo, qui, filiam Alexii Comneni, Theodoram uxorem duxerat. Idcirco quæ de Constantino Angelo Græcorum produnt historiæ, non a Niceta, sed ab Zonara erant petenda, cui ut ætate suppari, major fides est adhibenda. Prius ergo, quam ad Nicetam veniamus, quæ Zonaras scripserit de Constantino Angelo

---

(a) *Facellus Decad. 2. lib. 7. cap. 5. pag. 432.*
(b) *Platina in vita Lucii III.*
(c) *Sabellicus primæ Decadis lib. 8. Platina in vita Innocentii III.*
(d) *Facellus loco citato; Sabellicus Æneadis 9. lib. 5. Platina in vita Lucii III.*
(e) *Maffejus Epistolæ §. 6.*
(f) *Idem §. eadem.*

gelo cognosce. (*a*) τῇ δέ γε τελευταίᾳ τῶν θυγατέρων συνῴκισεν ὁ πατὴρ νεανίαν τὸ μὲν εἶδος ἀγαλματίαν, τὸ δὲ γένος ȣ̓ τῶν ἐπιφανῶν: *Postrema autem filiarum conjunxit domo Pater juvenem, secundum speciem quidem pulcherrimum, secundum autem genus, non ex numero illustrium.* Quid aliud hisce verbis innuit Zonaras, nisi adolescentis nobilitatem imperatoria uxoris claritate inferiorem fuisse, nuptiasque inæquales designavit. Quid Nicetas? cum Zonara re concinere videtur, verbis aliquantulum discrepare. Constantini genus, licet dignitatum adventitio ornatu late non coruscaret, propria tamen nobilitate decorum ait. Nicetæ verba subdo (*b*) ὃς ἐκ μὲν φιλαδελφείας ὥρμητο, καὶ γένȣς ἦν ȣ̓κ εὐπαρύφου πάνυ καὶ εὐγενοῦς. εὖ δ᾽ ἔχων τῆς σωματικῆς φυῆς, καί ἐπὶ τοῦ προσώπου λειμῶνα κάλλους κηπεύων τὴν Θεοδώραν πρὸς γάμον ἠγάγετο, ἣν Ἀλέξιος ὁ βασιλεὺς ὁ προπάτωρ τῷ Μανουὴλ ἐγείνατο, τὸ κάλλος, εὖ τυχήσας προμνήστριαν: Quorum sensus est, relicta (*c*) Volfii compendiosa nimis versione, & rejecta callida, & non satis fida (*d*) Maffeji: *Qui equidem è Philadelphia oriundus, & generis non admodum nobilis, nec dignitatum insignibus decorati: Bene autem se habens de corporis indole, & pratum pulchritudinis faciei excolens. Theodoram uxorem duxit, quam Alexius Imperator avus Manuelis genuerat, pulchritudinem nactus pronubam.* Tu vides, Clariss. Vir, an jure, meritoque respuam Volfii versionem, qui verbum εὐπαρύφου omissit, & meritissime Maffejum repudiem, qui subdole, & male, *non boni admodum*, interpretatus est. Qua fronte has nobis tenebras trudere putet, ignoro. Adeone videmur illi esse idonei, ut suis explanationibus sic illudamur? Dum alios vocat nebulones, cavere debuisset, ne ingenuam veritatem nebulis operiret. Quis est, qui nesciat, verbum εὐπαρύφȣ translatum esse, & ab inferioris ævi Græcis, dignitatum claritatem significaturis, fuisse usurpatum? Ut vocis intellectum assequamur, ad ejus analysim procedamus. Πάρυφος, si ad latinum sermonem vertamus, id significat, in quo aureæ, argenteæ, seu purpureæ virgæ, ornatus gratia, intertextæ sunt; sive de tela, sive de vestibus loquamur. Sic quæ Poeta de Clamydis ornatu

(*e*) *Victori Clamydem auratam, quam plurima circum*
Purpura &c.

Græci

(a) *Zonaras Annal. Tomo 3. §. 22. pag. 299. sub lit. B in vita Alexii Comneni.*
(b) *Nicetas in Manuele lib. 2. num. 7.*
(c) *Volfiana versio*, Philadelphiensem qui cum genere non admodum nobili esset ortus, sed procera statura, & insigni forma præditus: Theodoram Alexii, avi Manuelis, filiam, pulchritudine pronuba, uxorem duxerat.
(d) *Maffejana versio*, Qui equidem Philadelphia profectus, & generis erat non boni admodum, nec nobilis. Bene autem se habens de corporis indole, & pulchritudinem faciei, velut hortum excolens, Theodoram uxorem duxit, quam Alexius Imperator, avus Manuelis, genuerat, pulchritudinem nactus pronubam.
(e) *Virgilius Æneidos lib. 5.*

Græci hac unâ voce, πάρυφος, comprehendunt: èx πάρυφος conflatur εὐπάρυφος, quæ *splendide vestitum*, *seu habentem vestes ingeniosè contextas* significare videtur. Et quales apud Romanos Prætextati erant, tales apud Græcos εὐπάπυφος cense. Nam Prætextas, seu (ut Cato loquitur apud Livium) Prætextas purpura Togas appellabant; quod eis purpura esset contexta: & Græci ipsi Prætextam Romanam εὐπάρυφον πορφύραν vocabant. Quamobrem, cum γένος εὐπάρυφον legimus, non de genere splendide vestito, & multo minus de bono genere nobis est intelligendum: Sed de genere, dignitate ornato, honoribus splendido, late fulgenti, & undique claro. Nicetas itaque non asserit, Constantinum non boni, aut obscuri generis, sed stirpis non adeo splendidæ, & illustris, & nobilitatis minus exquisitæ, ut imperiali affinitati æqua videretur. Hoc pacto interpretanda, & illustranda sunt Nicetæ verba, ne Maffejanæ instar, versio nostra malitiam, & calliditatem oleat. Sed si Nicetæ Testimonio nobis omnimoda fides præstanda esset, cur credendum, Imperatorem Isaacium, quem modo Constantini Angeli nepotem asserit, ex Comnenia potius, quam ex Angelica gente fuisse; Historicus enim, priusquam inducat Alexium, Isaacii fratrem, Angeli cognomentum repudiantem (mos enim Græcis fuerat cognomina ad libitum tum adsumere, tum repudiare) sive ut Comnenico humilius, sive una cum Fratre Isaacio, quem Imperio, oculisque spoliarat, abolendum, tandem in quadam seditione, Alexio huic tanquam ex Comnenorum progenie, quæ longo jam ævo Græcorum rexerat Imperium, cum ipsius fastidiret Dominium, plebem parere recusantem ostendit. Si in Tyranno Andronico suum finierant regimen Comneni, quomodo, imperantibus Angelis, plebi fastidio esse poterant, qui imperare desierant? Aut si è Comnenorum gente non erat Alexius, quomodo Comnenici imperii satietas populum ceperat? Nicetæ in Alexio hæc verba sunt. (a) Τότε τῶν βαναύσων καὶ ξυγκλύδων τινὲς φιλοτάραχοι, φρατρίαν καὶ σύστρεμμα ποιησάμενοι, τινὰ Κοντοστέφανον Ἀλέξιον, ἐς τὸ μέγιστον ξυλλεγέντες τέμενος, ἀναγορεύουσιν Αὐτοκράτορα, ἀστροθεάμονα ὄντα, καὶ πάλαι τῇ βασιλείᾳ ἐνεδρεύοντα. οὐκέτι λέγοντες θέλειν ὑπὸ Κομνηνῶν βασιλεύεσθαι, γεγεννημένων αὐτοῖς εἰς πλησμονήν. *Tum vero* (juxta versionem Volfii) *colluvies opificum*, *&* *turbulentorum hominum*, *quemdam Astrologum Alexium Contostephanum*, *imperio jam olim insidiantem*, *in foro consalutant*; *Negabant enim*, SE COMNENORUM LATUROS DIUTIUS IMPERIUM, QUORUM PERTÆSUM ESSET. Belle ne Maffejo favet Nicetas? Quid, si Nicetæ Joelem conjungat? Operæ pretium erit, Joelem perlegere, qui compendiosam usque ad Alexium Ducam Cronographiam scripsit. Ab Alexio, Comneni Manuelis filio initium faciamus. Ἀλέξιος ὁ τούτου υἱὸς μειράκιον, ἔτος α': *Alexius hujus filius infans adhuc*, *annum unum* imperavit. Τοῦτον, φονεύσας Ἀνδρόνικος ὁ πρὸς πατρὸς θεῖος αὐτοῦ, ἐτυράννησεν ἔτη γ: *Hunc cum necasset Andronicus*, *ejus Patruus*, *imperium invasit annos tres*: & hic quoque Comnenus fuerat.

(a) *Nicet. in Alex. lib. 1. n. 1. pag. 293.*

fuerat. Τοῦτον φονεύσας ὁ ἀνεψιὸς αυτȣ̃ Ισαάκιος ὁ Ἄγγελος ἐκράτησεν ἔτη θ. *Hoc necato, Isaacius Angelus, Fratris filius* (ut vertit Allatius) *imperium obtinuit annos novem*. Sed si Maffejo minus placet Allatii interpretatio, facile concedo, ut verbum, ἀνεψιος, vertere possit, *fororis filius*, ne in hac re diutius immorer. Detur ipsi, Angelorum genus aliud à Comnenio, & inter Angelos, qui nobis innotuere, Principes Constantinum, & Nicolaum fratres fuisse. Dicet ne adhuc, *ex ignota humilitate genus?* Mihi certe præ ceteris adstipulatur Cinnamus, qui brevi compendio Calojannis Comneni Imperatoris vitam scripsit; fusa vero oratione res ab ejus filio Manuele gestas, sub quo etiam militaverat, descripsit. Hic enim inter Romanos illustriores (hoc nomine vocari gaudebant Græci) Joannem Angelum Constantini filium accenset (*a*) Ὑπὸ ϛρατηγοῖς Μιχαὴλ τε τῷ Ταβρᾷ, καὶ τῷ βρυεννίῳ Ιωσὴφ, ὑφ᾽ οἷς ἐτέλȣν ἄλλον τε τὸν ἐν Ρωμαίοις ἐπιφανεϛερον, καὶ Ιωάννης, ὂν Αγγελον ὑπεκάλȣν αὐὴρ ἐμπειροπόλεμος, καὶ Ιωάννης ὁ Ισὴς. *Ducibus Michaele Gabra, & Josepho Bryennio, sub quibus militabant alii inter Romanos illustriores, Joannes cognomento Angelus, vir militiæ peritissimus, & Joannes Ises*. Hæc quomodo inter se conjungi possint, Maffejus viderit. Si vero hæc omnia ipsi largiri decerneremus, etiamnum Angelorum despicies genus? quod trium Imperatorum numero extollitur, unius Regis, plurium Sebastocratorum, & Sebastohypertatorum, & Despotarum magnificentissimis, atque excelsis dignitatibus inter ceteros Græciæ Principes, perenni duorum pæne sæculorum spacio eminuit: Quod Imperialium, Regiarum, Illustrissimarumque affinitatum conjunctione, datis, acceptisque uxoribus, longe, lateque enituit: quodque longa heredum serie magnis Græciæ, Epirique regionibus imperavit. Si talia fando, majores suos celebrare posset Maffejus, libentissime Cardinales illos, & fabulosam dignitatum, nunquam interruptam seriem repudiaret, quæ in quodam supplici libello, de quo suo loco dicemus, leguntur, seque majoribus istis ultro adoptandum daret. Nunc ut perfacile primos scopulos superavi, ita reliquum cursum feliciori navigatione percurrere confido. Verum id mihi non sumo, sed ne in opinione quidem relinquo, me totam Angelorum progeniem enarrare; cum quidam ipsorum in historiis reperiantur, quorum aliqua apud historicos fortuita mentio inciderit, nulla vero majorum suorum, quos tamen ex hoc genere derivasse pro certo affirment. Fateor quidem, & ingenue fateor, arduum mihi videri, genealogiam familiæ, etiamsi clarissimæ, contexere, cum gentis nomina colligenda sint inter tantas, & ingentes Imperiorum, Populorum, & Regionum procellas, veluti ex naufragio tabulæ, per Dominiorum mutationes, & Barbarorum irruptiones monumentis amissis, quæ rem totam perspicuam undique reddere potuissent: Tum scriptorum traditione sæpe sæpius deficiente, qui sibi non proposuere, familiarum genealogias exarare; sed eorum, si qui forte gestis claruere, vel quorum res cum negotiis Aulæ Constantinopolitanæ conveniebant, tantum meminisse. Et cum nobis de hac re agendum

---

(*a*) *Cinn. lib. 5. num. 17. pag. 138.*

644

dum sit, proposito nostro satisfecisse credidissemus, si privata, quæ superfuissent huc, illuc dispersa monumenta, in unum redegissemus. Sed hujuscemodi beneficio ultro cedere volumus: Etenim hujusmodi auxiliis minime indigemus, de familia omni ætate in tota Græcia, Epiro, & conterminis regionibus spectabili verba facturi. Unum itaque Constantinum[1] (*a*), vel fortassis etiam (*b*) Nicolaum[2] fratrem pro fonte, ex quo ceteri rivuli omnes per totam ferè Græciam, & Epirum late discurrentes manarunt, habeamus. (*c*) Ex Constantino, & Theodora Comnena Imperatoris Alexii filia duos prodiisse liberos mihi constat: Andronicum[3] nempe, & Joannem[6]. Istis alios duos addit Du-Fresne, Michaelem[4], & Constantinum[5]. Hos non rejicio, cum revera & Cinnamus de Constantino (*d*) Sebastohypertato dignitate, cognomine Angelo, & Nicetas (*e*) de Michaele meminerit: Qui omnes, & filios, & descendentes habuisse, probabile est. Andronicum (*f*) vecordem, & timidum, Joannem (*g*) impigrum, & fortem narrant scriptores. Andronici filii duo, Isaacius[7], & Alexius[8], pulso Andronico Comneno, ad imperii fastigium ascenderunt; ceteri quatuor ab Andronico excæcati fuere, qui Græcis Scriptoribus vix noti, pæne præteriti sunt. Nomina trium fuerè, Constantinus[9], Theodorus[10], & Joannes[11], quarti[12] nomen latet: De prole istorum Græci siluere annales: Joanni tamen (*h*) filius tribuitur. Alexii Imperatoris proles tota feminea fuit: Isaacio vero ex duplici conjuge plures fuere liberi: Ex priore natus est Alexius[13], qui, Alexio Patruo, Venetorum, & Gallorum ope, è Constantinopoli pulso, imperio restitutus, dein ab Alexio Duca nefarie imperio, & vita spoliatus est anno mundi 6712. Christi vero 1204. cum imperasset menses sex, dies octo: Seu, ut Acropolitæ placet 6711. ut Leo Allatius notat, cujus verba hæc sunt (*i*) *Acropolita noster facit annum 6711. namque decimo mensis Maji in urbem appulere* (Latini) *continuarunt obsidionem menses undecim; quare undecimo mensis Aprilis Urbem ingressi sunt: Nam si 58. annos eam tenuere Latini, & anno 6769. recuperarunt Græci, si demas occupata*

(a) *Zonaras Tomo 3. Annal. in vita Alex. Comn. §. 22. pag. 229. sub lit. B Nicet. in Manu. lib. 2. cap. 7. Idem lib. 4. num. 3. Cinnam. in vita Manu. lib. 3. num. 8. pag. 68.*
(b) *Cinnam. lib. 2. num. 7. pag. 26. & lib. 3. num. 12. pag. 68. & lib. 3. n. 13.*
(c) *Vide arborem.*
(d) *Cinnam. lib. 3. num. 6. pag. 59.*
(e) *Nicet. in Manu. lib. 3. num. 6.*
(f) *Nicet. in Manu. lib. 6. num. 8.*
(g) *Cinnam. lib. 5. num. 17.*
(h) *Exped. Asiat. Frid. Imp. Tomo 5. Canisii pag. 74.*
(i) *Ex Notis Leonis Allatii ad Acropolitem pag. 218.*

cupata numerum, qui remanent, erunt anni 6711. *Choniata in die mensis concinit, in anno non item, tanquam qui uno anno auctior sit; ait enim captam anno* 6712. *ex quibus corrigendus est idem Choniata in Balduino*. Immo forsitan ex Niceta corrigendus Acropolita, & Spondano standum erit, qui urbem captam probat anno 1204. quod ait ex Niceta constare (*a*), *& Villarduino, & Altisiodorensi, necnon ex literis encyclicis paullo post de tanta re gesta a Balduino Imperatore scriptis ad universos Christi fideles, quas recitat Arnoldus in Chronico (b) Slavorum, iisdemque missis ad Summum Pontificem, ut habentur in ipsius actis, & regesto (c); necnon privatim ad Adolfum Archiepiscopum Coloniensem, quas suis annalibus inserit Godofridus Monachus*. Aliam quoque subdit Græcorum supputationem, quæ huic anno 1204. apprime convenit. *Cum enim ex Zonara (d) constet, annos Urbis numerandos ab anno mundi [ut ipsi numerabant]* 5838. *& Nicetas dicat, captam fuisse* 6712. *si ab hoc posteriori numero priorem dempseris, restabunt* 874. *quibus si junxeris* 330. *qui fluxerunt a Christi nativitate ad dedicationem Urbis Constantinopolitanæ, reperiuntur* 1204. *Tunc enim cœptos esse numerari annos ab Urbe condita, cum dedicata est, nulli potest esse dubium*. Sed cum hæc nihil ad rem nostram, ad institutum revertamur. Ex secunda uxore Margareta, seu ut Græci, eorum more, nomine mutato, appellant, Maria Pannonia primo-genitus Isaacii (*e*) Manuel fuit, qui cum primo-genitus à Niceta dicatur, oportuit & secundo-genitum, & fortassis etiam tertio-genitum extitisse. Scopuloso, & difficili loco versarer, si tibi suadere vellem, ex aliquo istorum Angelos Nostros processisse; & eo magis, si cum Gaspare Scioppio, cujus Epistolam (*f*), anno 1631. octavo Calendas Majas, de hac re scriptam, teneo, Alexio Angelo Imperatori, Isaacii Imperatoris filio, postumum filium tribuerem, cui nomen Alexii Andreæ imponerem: Nec risum teneres, si hunc Andream alicujus Scriptoris auctoritate confirmarem, aut Libellum quemdam recitarem, qui inscribitur, *Compendium Vitarum Summorum Pontificum, usque ad Marcellum Secundum, Imperatorumque Romanorum &c.* (*g*), & Barletio tribuitur; cum putidum insipidi impostoris figmentum sit, in quo Imperatores Comneni, Angelorum nomine, singuli nuncupantur. Vexato equidem, & everso (*h*) tunc temporis à Latinis Orientali Imperio, universa Thracia, multisque urbibus Macedoniæ captis, profugis Græcis pæne omnibus, ac Græcorum Imperio in Orientem sese contracto, Theodoro Lascari circa Nicæam Bithyniæ Imperatore designato, Manuelem, Isaacii ex Maria primo-genitum, Bonifacius Montisferrati Marchio

B in occi-

(a) *Henricus Spondanus anno Christi* 1204.
(b) *Lib. 6. cap.* 20.
(c) 7. *Epist.* 152.
(d) *Zonaras. Annalium Tomo* 3.
(e) *Nicet. in Bald. num.* 1. *sub lit. C pag.* 386. *& sub lit. A pag.* 387.
(f) *Vide epistolam in fine pag. I.*
(g) *Editum Romæ apud Vincentium Lucrinum anno* 1555.
(h) *Cantacuz. lib.* 2. *cap.* 36. *pag.* 316.

in occiduas regiones traxit; ac Romanorum salutavit (*a*) Imperatorem ; ut hoc commento Græcos in suas partes alliceret ; Alexius Imperator Thessalonicam appulit : qua urbe pulsus, dum ad Michaelem (*b*) patruelem, qui parti veteris Epiri tunc dominabatur, contendit , a parva Langobardorum manu captus fuit. Hoc loco emendandus venit Allatius, qui πρωτεξάδελφον vertit *consobrinum*, cum revera *patruelem* significet ; Erat enim Michael Joannis Sebastocratoris, qui hujus Alexii patruus fuerat, filius. Manuel porro habitu, tituloque imperatorio brevi spoliatus : cum nec dignitate conspicuus , nec factis clarus foret , inter cæcas oblivionis tenebras cum tota ejus agnatione sepultus jacuit. Sed cadente una cum imperio istorum Angelorum nomine, ad alios ex eadem progenie Angelos, neglectis illis , ut hos celebraret, & caneret, mobilis, & vaga sese transtulit fama. Audisti, quatuor filiorum numero divitem Constantinum, inter quos accensebatur Joannes, qui & Sebastocrator fuit. Hic est ille Joannes, qui fortasse pro Joanne Duca aliquando accipitur ab erudito Du-Cangio, cum ex duobus diversæ gentis viris unum faciat Joannem : ambo enim (*c*) Sebasti dignitate insignes : ambo Imperatori Isaacio sanguine juncti : ambo Ducas : unus proprio, alter adsumpto nomine, ut difficillimum sit eos inter se probe distinguere ; cum a Niceta ipso Joannes Angelus (*d*), Ducas passim vocetur, vel ab ipso quoque ambo inscienter confundantur. Ista sunt Nicetæ verba; πατρὸς Ισαακίω θεῖος, Ιωάννης ὁ Δούκας, καὶ ὁ τούτου υἱός Ισαακίω, scilicet, *Isaacii Patrus Joannes Ducas, ejusque filius Isaacius* : & alibi in eodem Niceta (*e*) Isaacius Imperator vocat πατρὸς θεῖος τὸν Σεβαστοκράτορα Ιωάννην, *Patruum suum Sebastocratorem Jannem* : & Joannes Isaacium appellat ἀδελφόπαιδος Βασιλέως, *Fratris filium Imperatorem*. Dubium præcipue movet ; Nicetam imprudenter errasse , qui Joanni Ducæ, qui revera Angelus erat, & Isaacii Patruus, filium tribuit Isaacium, qui certe filius fuerit alterius Joannis Ducæ; Quoniam ceteri omnes Historici quatuor tantum filios nostro Joanni Angelo tribuunt, Constantinum, Manuelem, Theodorum, & Michaelem, ut infra dicam , & quinque essent, si ab Niceta addatur Isaacius. Mihi videntur Joannes isti a Cinnamo probe distincti (*f*) πᾶσι μέν τοι Ιωάννης ἐφεστήκει ἐπίκλησιν Αγγελος : *Omnibus autem imperabat Joannes Angelus*. (*g*) Ταῦτα οἱ Ρωμαίων ἀκούσαντες Στρατηγοὶ τὸν πόλεμον ἤδη διέγραφον. Εδόκει τοίνυν Βασαβύλαν μὲν καὶ Ιωάννην

(a) *Nicet. in Bald. num.* 1. *sub lit. A pag.* 387.
(b) *Acrop. lib.* 1. *§.*8. *Gregor. lib.* 1. *cap.*2.
(c) *Cinn. lib.*4. *num.* 1. *pag.*77. *Nicet. in Cald. num.*9.
(d) *Nicet. in Andron. lib.*2. *num.* 10. *pag.* 220.
(e) *Idem in Isaacio lib.* 1. *num.*7. *pag.* 246.
(f) *Cinn. lib.*4. *num.*6. *pag.*86.
(g) *Idem l.b.*4. *num.* 11. *pag.* 94.

ἄννην τὸν Αγγελον, τὸ μιαθοφορικὸν ἅπαν ἔχοντας, καὶ τοῖς ὅσοι ἐξ Ιταλίας τῷ βασιλεῖ προσεχώρησαν τὸν ἐκ τῆς ἐπείρου ἀναδέξασθαι πόνον. Τον γε μὴν Δούκας, τοῖς ἐκ θαλάσσης Διαγωνίσασθαι: *His peractis, Romanorum Duces ita ordinavere aciem, ut Baſſavilla, & Joannes Angelus cum ſtipendiariis copiis, atque iis, qui ex Italia ſeſe adjunxerant, Imperatori* [Manueli,] *terra belli molem ſuſtinerent: Ducas vero maritimis ſeſe hoſtium copiis opponeret* : & lib. 6. n. 1. pag. 145. Ἤδη δὲ καὶ Ιωάννης ὁ Δούκας Δαλματίαν: *Cum Joannes Ducas Dalmatiam* ad Imperium Romanorum revocaviſſet. Erant præterea dignitate pari illuſtres Angelus, & Ducas. De hoc Cinnamus (*a*) teſtatur hiſce verbis. Μιχαὴλ τε ὁ Παλαιολόγος καὶ Ιωάννης ὁ Δούκας, ἄμφω εἰς τὸ τῶν Σεβαςῶν ἀξίωμα ἥκοντες: *Michael Palæologus, & Joannes Ducas, ambo Sebaſti dignitate inſignes*. Qua dignitate ſplendidum fuiſſe Angelum non obſcure nos docuit Nicetas (*b*) Αἰτωλίαν δὲ καὶ τὰ τῇ Νικοπόλει προσοριζόμενα, καὶ ὅσα πρόεισιν ἐς Επίδαμνον ὁ Μιχαὴλ ἰδιώσατο, ὃν ἐκ σπερπάτον σκοτίων ὁ Σεβαςοκράτορ ἐφύτευσεν Ιωάννης: *Ætoliam, & confinia Nicopolis, & qua ad Epidamnum vergunt, Michael Joannis Sebaſtocratoris, ex occultis ſeminibus, filius ſibi vendicavit*. Sed hæc mihi clariora videntur, quam illuſtratione indigeant. Vigente adhuc Græcorum imperio, Angeli Fratres ex Sebaſtocratore Joanne ab Imperatoribus annuum Ætoliæ, Acarnaniæ (*c*), totiuſque Epiri Epidamnum uſque procurationem habebant. Sed Latinis, conceſſu numinis, anno 1204. Byſantio potitis, Angeli Theſſaliam, ceteraſque vicinas provincias, quarum Prætores erant, ac etiam Macedoniæ partem occupaverunt (*d*): propterea quod, Thraciam Latinis tenentibus, Græcis Imperatoribus ad illas ditiones ab Urbe Imperatoria longe diſſitas, tranſitus non patebat; Et quamvis poſt annos plurimos Imperio a Palæologis recuperato, contra ipſos miſſis exercitibus acriter reſtiterunt, ac imperium, armis ſtabilitum, liberis, nepotibuſque ſuis, velut patrimonium mandaverunt. Hæc omnia ex Gregora, & Cantacuzeno ſupralaudatis didicimus, & ex Prætore Græciæ his verbis tradidit Leunclavius. *Qui Duces aliis in locis alii fuerant hactenus* [*nondum occupata a Flandris Conſtantinopoli, & toto fere Imperio*] *ſinguli regionem adminiſtrationi ſuæ commiſſam tunc ſui juris efficiebant: Vel ad hoc impulſi motu proprio, vel ab incolis ad defendendam regionem arceſſiti*. Sic (*e*) Αἰτωλίαν δὲ καὶ τὰ τῇ Νικοπόλει προσοριζόμενα, καὶ ὅσα πρόεισιν ες Επίδαμνον ὁ Μιχαὴλ ἰδιώματο, ὃν ἐκ σπερμάτων σκοτίων ὁ Σεβαςοκράτωρ ἐφύτευσεί Ιωάννης: *Ætoliam, & confinia Nicopolis* [Italis Preveſa] *& qua ad Dyrrachium vergunt, Michael Joannis Sebaſtocratoris, ex occultis ſeminibus filius, ſibi vendicavit*. Huic (*f*) Ὁ δὲ Μιχαὴλ:

(a) *Cinnam. lib. 4. num. 1. pag. 79.*
(b) *Nicet. in Bald. num. 9. ſub lit. A pag. 410.*
(c) *Cantac. lib. 2. cap. 36. pag. 316. & Greg. lib. 1. cap. 2. ſub lit. A B*
(d) *Acropol. lib. 1. ſ. 21. pag. 18.*
(e) *Nicet. in Bald. n. 9. ſub lit. A pag. 410.* (f) *Acrop. lib. 1. ſ. 14. pag. 13.*

ὃν ἱϛορήσας ὁ λόγος πέφθακε τῆς Ἐπείρου κατάρξαι, καὶ τινος μέρους τῆς χώρας Ῥωμαίων, τρεῖς κασιγνήτοις ἐκέκτητο, τὸν Κωνϛαντινον, τὸν Θεόδωρον, καὶ τον Μανουὴλ. *Michaeli, quem Epiro imperasse, & partem aliquam Dominii Romani obtinuisse, supra enuntiavimus, tres fuere fratres, Constantinus* [16]*, Theodorus* [17]*, & Manuel* [18]*:* Ὑπηρετῶν ὁ Μιχαὴλ νύκτωρ ἐπί τῆς κλίνης συγκαθεύδων τῇ γυναικί. Ῥωμαῖος δὲ τὴν τῷ φονευτῇ τοὐνομα. Ἐπιλαμβάνεται γοῦν τῆς ἐξουσίας ἐκείνου ὁ ἀδελφὸς Θεόδωρος, ἔχων ϗ τοὺς ἀδελφοὺς Κωνϛαντῖνον, ϗ Μανουὴλ. Ἄρξαι δὲ βουληθεὶς πάνυ ἐπηύξησε τὴν αὐτοῦ ἀρχήν. Ἔκ τε γὰρ τῶν Ἰταλῶν οὐκ ὀλίγην χώραν ἐκτήσατο, ϗ τῶν Βουλγάρων πολλήν. Τήν τε γὰρ Θεσσαλίαν ὑφ᾽ ἑαυτὸν ἐποιήσατο, Ἀχρίδα τε, ϗ Πρίλαπον, Ἀλβανόν τε, ϗ αὐτο τὸ Δυῤῥάχιον. Ἔνθα ϗ Πέτρον μὲν μεγίϛης ϛρατιᾶς ἐξ Ἰταλίας ὁρμώμενον, ϗ ὡς πρὸς τὴν Κωνϛαντινούπολιν πεποιημένον τὸν διόδον αὐηγορευμένον πρὸς τοῦ Πάπα ϗ βασιλεὼς αὐτοῦ που γεγενημένε, προχειρωσάμενον τε ϗ αὐτὸ τὸ Δυῤῥάχιον γενναίως κατετροπώσατο. *A servo Michael noctu in lectulo una cum uxore cubans, interimitur. Romao nomen erat Parricidæ. Quare Theodorus Frater in Dominatu, secum habens Constantinum, & Manuelem Fratres, succedit. Cum vero ad Principatum incumberet, Imperii sui jura nimium extendit; Namque ex Italis non parvam, ex Bulgaris vero multam regionem suæ ditioni adjecit, sibique Thessaliam, Acrida, Prilapum, Albanum, & Dyrrachium ipsum subegit: Ubi Petrum cum ingenti militum vi ex Italia venientem, & quasi Constantinopolim iter intenderet, a Summo Pontifice electum, declaratumque circa eadem loca Imperatorem, Dyrrachio praeoccupato, fortiter in fugam vertit;* Deinde Thessalonicam in potestatem recepit, statimque regium (*a*) nomen sibi adscivit, purpureaque Clamyde indutus, & rubris Calceis convestitus, regio more, a Bulgariæ Archiepiscopo inunctus fuit, Despotas, Sebastocratoras, Magnos Domesticos, Protovestiarios creavit (*b*), Fratrem Manuelem Despotæ dignitate cohonestavit, & reliquum universum Imperatorium ordinem dispensavit. His rebus prospere gestis, Andrianopolim quoque occupavit. Similia de eodem Theodoro recitat Maurus Orbini, Illyricarum rerum accuratus Scriptor, qui ob suam eximiam diligentiam, & monumentorum ab ipso inspectorum fidem, semper in maximo pretio apud eruditos fuit, atque ideo non semel a Scholiastibus Byzantinæ historiæ laudatum reperi. Huic filii fuere (*c*) quatuor, mares duo, Joannes [20], & Demetrius [21], feminæ duæ, Anna, & Irene. Imperatorio nomine Joannem filium decoravit, & purpureis calceis pedes illius circumvestit, neque dissimilibus litteris subscribere jussit, sibi vero summam rerum omnium,

(a) *Greg. lib. 2. cap. 2. num. 1. Acrop. lib. 1. §. 21. pag. 18.*
(b) *Idem lib. 1. §. 26. pag. 23.*
(c) *Acrop. lib. 1. §. 38. pag. 32.*

nium, ac filii regimen reſervavit. Interea (*a*) Manuel[18], Theodori frater, nullis relictis filiis, e vita migravit, & Pharſalos, Lariſſam, & Platamonem, quæ eidem parebat, Michael[19] prioris Michaelis filius, ejuſque nepos, occupavit, ſuiſque ditionibus adjunxit. Non multum temporis cum fuiſſet elapſum, ſpiritum exhauſit Joannes[20] (*b*) fraterque illius ab Imperatore Joanne Deſpotæ dignitate donatus eſt. Sed non multum Fratris imperio, in quo ſucceſſerat, potitus eſt; Nam a Theſſalonicenſium dominatu ab Imperatore exturbatus, & in arce Lentiana (*c*) occluſus fuit. Sed antequam Conſtantinopolis ſub Græcorum poteſtate rediret (*d*), Ἐπὶ τούτων μέντοι τῶν χρόνων ἦρχε Θετταλίας, καὶ Αἰτωλίας, καὶ τῶν περιξ Μιχαὴλ ὁ νόθος υἱός τοῦ πρώτου ἀποστάτου Μιχαὴλ τοῦ Αγγέλου. Τελευτησάσης γὰρ τῆς ἄλλης συγγενείας ἐκείνου πάσης, παρῆλθεν ἤδη πᾶσα ἡ τῶν χωρῶν ἐκείνων ἀρχὴ εἰς ἕνα τουτὸι τὸν Μιχαὴλ. Τούτῳ παῖδες ἐγένοντο, Νικηφόρος, καὶ Ιωάννης, καὶ Μιχαὴλ, καὶ τέταρτος ~~νόθος ὁ ὄνομα~~ Ιωάννης, καὶ οὗτος. Σὶς ἐπιμεγιζαν ἔμελλε μετὰ βραχὺ, καὶ τὴν ἑαυτοῦ ἀρχὴν, *His temporibus præerat Theſſaliæ, & Ætolia, vicinisque regionibus Michael[19] nothus, filius Michaelis Angeli primi rebellis; nam tota ejus cognatione extincta, omne locorum illorum imperium ad hunc unum nothum Michaelem devolutum fuit. Huic filii fuere Nicephorus[22], Joannes[23], Michael[24], & quartus Joannes[25], & ipſe nothus: inter quos poſt breve tempus ſuum diſtributurus erat Principatum*. Hunc Michaelem, & Manuelem vocat Du-Cangius ex eo, quod a Pachymere (*e*) dicatur, ὁ τοῦ Δεσπότου Μιχαὴλ ἐκ νοθείας σκότιος παῖς Μανουὴλ, *Michaelis Deſpotæ nothus, & obſcurus filius Manuel*: Sed Poſſinus (*f*) hunc fuiſſe Theodorum[26], alterum ipſius Michaelis filium nothum ſuſpicatur: & Allatius (*g*) affirmat. Quod equidem temporibus magis convenire videtur. Diſcimus præterea ex Pachymere ~~(*h*), natu minimum~~ ex Michaelis liberis, qui a Gregora Michael vocatur, Demetrii[24] nomen a natalibus obtinuiſſe, ſed Patris poſtea mortui nomen, ad ejus memoriam, omiſſo proprio, uſurpaſſe. Nunc mihi venit in mentem Du-Cangii craſſus error, qui autumat, Demetrium hunc, & Nicephorum Fratres, illos fuiſſe, quorum meminit Cantacuze-

(a) *Idem §. 39. pag. 35.*
(b) *§. 42. pag. 38.*
(c) *§. 46. pag. 46.*
(d) *Gregor. lib. 2. cap. 8. num. 1.*
(e) *Pachym. lib. 1. cap. 10.*
(f) *Poſſinus in notis ad Pachym.*
(g) *Allatius in notis ad cap. 70. Acropol. pag. 262.*
(h) *Pachym. lib. 6. cap. 6.*

tacuzenus (*a*) qui cujusdam Metochites Magni Logothetæ, ex Angelorum familia, filii fuere. Ex hoc præcipue Du-Cangii error dignoscitur, quod Cantacuzenus ab anno 1321. historiam suam exorditur, in qua horum Demetrii, & Nicephori Fratrum, tunc temporis viventium, meminit. Atqui Nicephorus, Michaelis filius, objerat juxta Du-Cangium ipsum anno 1288. vel juxta Possinum anno 1293. & Metochites anno 1332. juxta Scholiastem Gregoræ. Præterea hujus Pater Michael in occiduis regionibus Imperatori infestus vivebat; ille vero Theodorus Metochites, aliorum Pater, in Oriente, ac Imperatori familiaris: Adde, hunc Logothetam, alterum Despotam fuisse.

Non præterenndum omnino arbitror, quod Acropolites de primi Michaelis prole innuit, cui filium unum Michaelem ex pellice extitisse, ex Gregora compertum est: Præter quem alios liberos, & genuinos ei fuisse, ex Acropolite desumi facile posset. Verba ipsa proferam, tu judicato. (*b*) Δία τοῦτο παρακαλεῖ τὸν βασιλέα θεόδωρον ὁ Μιχαὴλ, ἵνα τοῦτον πρὸς αὐτὸν ἐκπέμψη διὰ τὸ μὴ ἔτι ἔχειν παῖδα εἰς ἥβην ἐλθόντα, ἀλλ᾽ οὐδὲ γνήσιον. Ο᾽ γὰρ αὐτῷ γεννηθεὶς Μιχαὴλ, ἐκ παλλακῆς ἐκείνῳ γεγεύητο, περὶ οὗ ἐροῦμεν ἐν τοῖς μετέπειτα, καὶ τοῦ θανάτου δὲ δεδιέναι τὸ ἄωρον, τοῖς γὰρ λοιποῖς τῶν ἀδελφῶν ἀφυεῖς ἐγίνωσκεν εἰς ἀρχήν. *Theoderum Imperatorem deprecatur, ut eum* [nempe Fratrem Theodorum, qui cum Imperatore Theodoro Lascari convivebat] *ad se mitteret, quod nullam GENUINUM FILIUM ADULTUM possideret; quem enim susceperat, Michael, ex pellice erat, de quo infra dicemus, & mortem intempestivam pertimesceret, & alios fratres ineptos ad dominandum judicaret*. Quid ni, si genuinum nullum adultum hbebat, dici poterit, aliquem impuberem habuisse? Hæc notatione digna ratus sum, ut omnia compendio tibi indicarem. Sed ne longe nimium abeamus, ad filios Michaelis secundi noster sermo redeat. Quatuor ei filios tribuit Gregoras, quorum nomina audisti: quintnm addunt Acropolites, & Pachymeres Theodorum, seu Manuelem, ut Pachymeri, & ejus Scholiastibus placet. Pachymeris verba cum recitaverim, Acropolitis etiam subdo (*c*) ἀποστάτου Μιχαὴλ νόθος υἱος θεόδορως: *Michaelis defectoris filius nothus Theodorus*. Sed liceat mihi, aliquantulum in Maffeji epistola versari; nam Michaelis prolem alio loco considerabimus. Vidistine, ut subdole, & mutilatim Gregoram citat? ut Michaelis liberos sileat? Cur repentinus ille saltus ab uno Gregoræ textu, in quo extincta narratur tota Michaelis cognatio, ad alium, in quo Thessalici Principatus ultimus heres obiisse dicitur, nulla habita ratione ætatum, temporis, nec personarum? Tu recte intelligis, quod lumen tribuat

(a) *Cantacuz. lib. 1. cap. 42. & 43. pag. 129.*
(b) *Acropol. §. 14. pag. 13.*
(c) *Acropol. §. 71. pag. 81.*

buat veritati, per quam omnia adinſtar tabulæ perfecte depictæ, in bono luminæ poſitæ, perſpicue conſpici, ac dignoſci debent: vel potius quas tenebras nitidori luci offundere curet. Iſta vero minima ſunt: oſtendam tibi multo majora, cordato, & honeſto viro indigna, ſi animum ad reliqua legenda benigne adjicies. Nunc quoniam in Epiſtola Maffeji paullulum immorati ſumus, ad Michaelis[19] ſecundi ſobolem revertamur, eaque comprehendamus, quæ ad Maffeji errores deoperiendum magis neceſſaria ſunt. Recuperata rurſum Conſtantinopoli, diuturnis, acribuſque bellis a Græcis vexatus Michael, Deſpotes Epiri, & Theſſaliæ Princeps deceſſit, relictis filiis, in quibus (a) Ε῞να μὲν νόθον Ιωάννην ὄνομα γνησίοις δὲ τρεῖς, ὧν καθ᾽ἡλικίαν προτέυων ὑπῆρχεν ὁ ἐπ᾽ ἀδελφιδῆ γαμβρὸς τοῦ βασιλέως Νικηφόρος ὁ δεσπότης ὑφ᾽ ᾧ κηδεμόνι καὶ ἐπιτρόπῳ κατέλιπεν ὁ πατὴρ ὡς ἀτελεςέροις τὴν ἡλικίαν, καὶ ἄζυγας ἔτη, τοῖς δύω ἑτέροις ὑίεας Μιχαὴλ καὶ Ιοάννην. Χιζειμέν τοι καὶ τὴν ὅλην ἀυτοῦ ἐπικράτειαν εἰς δυό μερίδας, ὧν τὴν μὲν μίαν, ἣ δή καὶ παλαία ὀνομάζεται Η῎πειρος, ἀφίησι Νικηφόρῳ τῷ Δεσπότῃ. Περιέχει δὲ αὕτη Θεσπρωταις, καὶ Ακαρνᾶνας, καὶ Δόλομας, καὶ πρὸς τούτοις Κερκυραίοις, καὶ Κεφαλλῆνας, καὶ Ιθακησίοις. Ο῾ρίζεται δὲ πρὸς μὲν δύσεως Αδριατικῷ τε καὶ Ιονιῷ πελάγει. Πρὸς δὲ ἄρκτων ὄρεσιν ὑψηλοῖς τῷ τε Πύδνῳ, καὶ τοῖς Ακροκεραυνίοις ὀνομαζομένοις. Ε῎κ δὲ ἀνατολῶν Α῎χελώῳ τῷ ποταμῷ. Ε῎κ δὲ μεσημβρίας τῇ Κερκυραίωννήσῳ, καὶ τῇ Κεφαλληνία. Τὴν δὲ ἑτέραν μερίδα ἀφίησιν ὁ πατὴρ Ιωάννῃ τῷ νόθιῳ παιδί. ἣ καὶ αὐτὴ περιέχει Πελασγοις, καὶ φθιώτας, ἔπι (τε) Θετταλοις, καὶ Λοκροις τοις Οζώλας, καὶ πρὸς μεν ἄρκτοις Ο῎λυμπον ἔχει τὸ ὄρος, πρὸς δὲ μεσημβρίαν, τὸν Παρνασὸν, ἀμφότερα ὑψηλὰ, καὶ ἐς βαθὸν τὸν ἀέρα τὰς κορυφὰς ἀνατὲ νοντα, *Unus nothus, nomine Joannes[25], legitimis tribus, quorum natu maximus fuit Nicephorus[22] Deſpotes, qui conſobrinam Imperatoris in matrimonio habebat, quam Pater ob immaturam atatem reliquorum, qui calibes adhuc erant, Michaelis[24], & Joannis[23] curatorem reliquit, diviſa omni ſua ditione in duas partes, quarum unam, qua vetus appellatur Epirum, Nicephoro Deſpota reliquit: Continet autem Theſprotos, Acarnanes, Dolopes, pratereaque Corcyraos, Cephalenios, & Ithacenſes: Terminatur ab occaſu Adriatico, & Jonio mari, verſus Septentrionem altis montibus Pidno, & Acroceranniis, ab ortu Acheloo flumine, a meridie Corcyra, & Cephalenia. Alteram partem Joanni notho filio reliquit, qua & ipſa continet Pelaſgos, Phthiotes, Teſſalos, Locros; Ozolas: Ac verſus Septentrionem habet Olympum montem, ad meridiem Parnaſſum, utrumque altiſſimum, & nubibus vicinum*. Theodoro[26] cum nullam imperii ſui partem faciat, eum Patri præmortuum fuiſſe cenſeo. Nicephoro[22] autem duæ

(a) *Gregor. lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 1.

·652

duæ fuere uxores, quarum primam (*a*) Mariam, filiam Theodori Lascaris Imperatoris, vivente patre, duxit. Ea defuncta, Annam (*b*), Eulogiæ, sororis Imperatoris Michaelis Palæologi, filiam, in secundam conjugem ei Pater copulavit, ex qua liberos suscepit duos, Ithamarem[27], & Thomam[28] (*c*), Ætolorum, & Epiri Principem. Obiit Nicephorus, si Cangio credimus anno 1288. sed juxta Possini rationem (*d*) anno 1293. Filium Thomam adhuc impuberem reliquit. Sublatus etiam de medio fuerat Nicephori frater nothus, Joannes[25] Sebastocrator, cujus pupillos duos, Ducam[34], & Angelum[33], Anna vidua Nicephori, Eulogiæ, Andronici Augusti Amitæ, filia, tutelari jure curabat, & ipsos, & Toparchiam eorum eo nomine in potestate habens; Fratrem enim horum majorem Comnenum Michaelem[32], jam antea circumventum, & dolo comprehensum, ipsa Imperatori tradiderat. (*e*) Καὶ ἡ ἐκείνων μήτηρ Ἄννα, καὶ τῆς Εὐλογίας θυγάτηρ, ἐκ ποδῶν γεγονότος καὶ τοῦ Σεβαςοκράτορος Ιωάννου, τὰς ἐπιτροπὰς τῶν τε παίδων καὶ τῆς τοπαρχίας ἔχουσα τοὺς τοῦ Ιωάννου παῖδας δύο, τὸν Δούκαν τε καὶ τὸν Αγγελον. Τὸν γὰρ Κωμνηνὸν Μιχαὴλ φθάνει κατασοφισαμένη αὐτη δόλῳ, καὶ ἐπίχουσα καὶ παραδοῦσα τῷ βασιλεῖ. Cum vero pubertatem attigisset Thomas[28], Nicephoris filius, Annam (*f*), Michaelis secundi ex Maria Armeniaca filiam, duxit: Tum a Sororio[35] filio Cephaleniæ Comite (*g*) interfectus est, anno 1318., ut Du-Cangius supputat: Deinde Annam viduam avunculi, uxorem duxit. Et hic etiam a fratre Joanne[36] necatus fuit, qui demum & ipse a vindicta, ut æquum erat, inventus, sicut & ejus antecessor, violenta morte sublatus est, veneno clam ab uxore dato. Nam cum domesticæ res admodum ægræ essent, mulier insidias viri metuens, priusquam ab ipso occideretur, eum e medio sustulit: atque ita cum puerulis duobus Ætolorum, & Acarnanum Principatum obtinuit, anno forsitan 1337. vel 1338. Hæc Gregoras lib. 11. cap. 3. §. 3. recenset, quarum aliqua in Volfii versione desiderantur. Προετεθνήκει δὲ, καὶ ὁ τῆς τῶν θετταλῶν ἡγεμονίας τελευταῖος διάδοχος ὁ τῶν Ἀγγελωνύμων ἀπόγονος: *Præmortuus etiam fuerat Thessalici Principatûs ultimus successor ex Angelorum familia*. Hic erat Joannes Angelus[33] Ducas, Joannis Sebastocratoris filius, qui uxorem duxerat Irenem, Imperato-

(a) *Acrop. §. 49. pag. 48.*
(b) *Gregoras lib. 5. cap. 3. §. 1. Pachym. lib. 3. cap. 27.*
(c) *Greg. lib. 8. Pachym. in Andron. lib. 3. cap. 8. Cantacuz. lib. 1. cap. 1.*
(d) *Possinus in Synopsi Chronologica ad Pachym. sub anno 1293.*
(e) *Pachym. in Andron. lib. 30. cap. 4. pag. 137.*
(f) *Greg. lib. 8. cap. 1. §. 1. Cantacuz. lib. 1. cap. 1.*
(g) *Greg. lib. 8. cap. 6. §. 6.*

peratoris Andronici filiam, ex qua nullo suscepto, cui (*a*) relinqueret Principatum, triennio cum ea tantum exacto, diem clausit ultimum post annum, ut ex Gregora, ni fallor, colligitur 1308. Nescio, quibus conjecturis Maffejus (*b*) affirmet, circa annum 1306. decessisse. Quod, si erravit ipse, non reprehendo: si ego decipior, correctioni, lubenti animo, subesse, paratus sum.

Sed non adeo facili negotio, Angelorum genus in Joanne Duca omnino extinctum, concedam: Immo & hanc progeniem ultro processisse, & alias imperiali sanguine florentes extitisse, ostendam. Si me interroges, cur Scriptor Libelli, *de Fabula Equestris Ordinis Constantiniani*, Joannem Ducam, veluti terminum Angelicæ Familiæ constituerit; cum Du-Cangius, quem sæpius citat, ad ulteriores gradus progrediatur, pluresque alios Angelos noverit, etiamsi & ipse per gradus omnes non descendat. Non inscitia, nec eo quia incogniti ei fuerint, reliquos Angelos præteriisse, dicam: Sed judicio, & intellectu, fidens, nobis omnia facile imponere posse, & ut verbis Plauti (*c*) utar, *homines habere Clitellarios*, qui veherent, quidquid imposuisset. Ut vero promissis stem: Vidisti inter Michaelis secundi filios, natu minimum, Demetrium; seu, ~~ut vocat Gregoras~~, Michaelem. Hic ab seniore Andronico (*d*) ἐτάττετο μὲν εἰς Δεσπότας ὁ Μιχαὴλ, τῇ Ἄννῃ δὲ, βασιλίδι οὔσῃ γε, συνεζεύγνυτο *titulo Despota honoratus fuit, quippe Anna Regina, Imperatoris filia, rite matrimonio junctus*. Horum filios duos memorat Cantacuzenus, *Andronicum*; & *Constantinum*, materno nomine ambos Palæologos nuncupatos. Operæ pretium erit, verba Cantacuzeni subjungere, ne inficiatori cavillandi sit modus. Primus in Littera, seu Mandato Andronici Senioris, quod recitat Cantacuzenus in lib. 1. cap. 48., inscribitur, Περιπόθητε ἀνεψιὲ τῆς βασιλείας μου πρωτοβεστιάριε κύριε Ἀνδρόνικε Παλαιολόγε, *Desideratissime Majestati nostræ, mi Nepos, Domine Andronice Palæologe Protovestiari*. Et in cap. 43. ejusdem libri, ejus Parentes indicantur in verbis, ὁ γὰρ πρωτοβεστιάριος αὐτοσὶ Παλαιολόγος Ἀνδρόνικος, τῆς τοῦ πρεσβυτέρου βασιλέως Ἀνδρονίκου παῖς ἀδελφῆς τῆς Ἄννης, ἣ συνῴκει Μιχαὴλ τῷ δουκὶ τῶν Πάτρας ἀρχόντων ἑνὶ καὶ τῆς κατ᾽ αὐτὴν Θεσσαλίας: *Protovestiarius Andronicus Matrem habuit Annam, Sororem Andronici Senioris, quæ Michaeli Duci, uni ex Principibus Patræ, & Thessaliæ circumjectæ nupsit*. Alter porro frater Constantinus Protosebasti honore decorabatur (*e*),

C & lib. 3.

(a) *Greg. lib. 7. cap. 7. §. 1.*
(b) *Maffejus §. 6.*
(c) *Plautus in Mostellaria.*
(d) *Pachym. in Michaele lib. 6. cap. 6.*
(e) *Cantacuz. lib. 3. cap. 42. pag. 488.*

& lib. 3. cap. 87. Παλαιολόγος δὲ Κωνςαντῖνος ὁ τῦ βασιλεῶς Ανδρονίκου Θεῖος, *Constantinus Palæologus*, *Imperatoris Andronici avunculus* vocitatur. In libro 3. cap. 32. Cantacuzenus Imperator, de sua in Pheræos expeditione scribens, inquit, secum in exercitu multos nobiles, & consanguineos habentem [inter quos Angelum Pincernam, ejus consobrinum] Didymothico egressum fuisse tertio nonas Majas, indictione decima, præmisso, Κωνςαντίνον τὸν Παλαιολόγον, τὸν Δεσπότου Μιχαὴλ τῦ δουκὸς υἱὸν, *Constantino Palæologo*, *Michaelis Ducæ Despotæ filio*, cujus opera, quæ in rem essent, componerentur: qui mox Pheris ad Syrgem deficiens, ad urbis moderationem adsumptus fuit. Verum postquam ex hoc regali matrimonio duos sibi comparaverat filios Mihael, amissa dudum priore, quæ Imperatoris soror fuerat, repudiatam a Crale, Serviæ Terteris filiam, uxorem duxit. Matrimonium hoc anno 1301. a Possino (*a*) consignatur, ex quo liberos aliquot suscepit, ut Pachymeres in cap. 19. lib. 5. satis testatur. Ob hæc in judicium vocatus, reus sistitur: nec vitare potuit, quin perpetuo carceri una cum uxore, & liberis, ex ea susceptis, die 15. Martii anni 1305. ut Possinus computat, addiceretur. Quid Maffejus dicet? Post Joannem Angelum, Joannis nothi filium (*b*) *nullum ex tota Angelorum cognatione stipitem superfuisse*, *nullamque insuper aliam ejusdem nominis valde inclitam in Græcia familiam extitisse?* Erat præterea quidam Joannes Angelus Despota, & Acarnaniæ Princeps, Cantacuzeno cognatione propinquissimus, Castoriæ Præfectus, & Andronici (*c*) πρωτοβεςιαρίου γαμβρὸς ὁ Ἀγγέλυ ἄρχει, *Angeli Protovestiarii Principis gener*; Nam Andronici Angeli filiam desponderat, cum qua Nicephorum genuerat. De hoc Joanne, ita Du-Cangius (*d*): *Andronicus Protovestiarii dignitate donatus ab Andronico Palæologo seniore, obiit sub annum 1326. relicta præ ceteris, ex filia Cocalæ Magni* (*e*) *Logariastæ, filia, quæ Nobili cuidam ex Angelorum familia, Castoriæ Domino, nupsit*. De hoc ipso Joanne loqui videtur Cantacuzenus, cum ob ejus obitum, Imperatoris Andronici junioris, expeditionem occidentalem appetentis, irruptionem in Acarnaniam describens, ait, fuisse inter Acarnanas, qui Imperatorem neque in Urbes admittendum, neque a vetusta erga Angelos, qui longo jam ævo ipsis imperassent, benevolentia desciscendum (*f*), ἀλλὰ τῇ Δεσπότου Ἰωάννυ γυναικὶ τῇ βασιλίατῃ Ἄννῃ, ἡ πρω-

(a) *Possinus in Synopsi Chron. ad Pachym.*
(b) *Maff. §. 6. Epistolæ.*
(c) *Cantacuz. lib. 1. cap. 54. & lib. 2. cap. 32.* (d) *Dufresme Famil. 32.*
(e) Λογαριάςης, *qui rationes iniit omnium stipendiorum: Valere putant idem, quod Quæstor, aut receptor Generalis.*
(f) *Cantacuz. lib. 1. cap. 32. pag. 303.*

πρωτοβεσιαρίου θυγάτηρ τὴν Ἀνδρονίκου τοῦ Παλαιολόγου, ὃν ἱστορήκαμεν τοῦ πρὸς ἀλλήλοις τελευταίου τῶν βασιλέων πολέμου μάλιστα αἰτιώτατον γεγενημένον, καὶ Νικηφόρῳ τῷ ἐκείνου παιδὶ τὴν πίστιν τηρεῖν βεβαίαν, *sed potius Regina Anna*[37]*, Conjugi Joannis*[39] *Despota, filia Protovestiarii Andronici Palaeologi, quem postremum inter Imperatores bellum potissimum excitasse, docuimus, & Nicephoro*[40] *ejus filio constanter fidem servandum esse censebant.* Nec Nicephorum, ejusque Matrem Annam Protovestiarii filiam prorsus omissit Gregoras, eamdem expeditionem in Acarnaniam, & Ætoliam innuens; immo alterum Nicephoro Fratrem tribuere videtur. Sic enim Gregoras (*a*). Ἐκάλει δὲ ἤδη τὸν βασιλέα τὰ Αἰτωλῶν, καὶ Ἀκαρνάνων πράγματα, πλημμελῶς διακείμενα καὶ νοσοῦντα διὰ τὴν τοῦ Δεσπότου αὐτῶν τελευτήν. ἡ γὰρ ἀρχὴ διοικεῖσθαι μὴ δυναμένη παρὰ γυναικὸς χηρευούσης καὶ τέκνων ἀτελῶν ἔτι πλημμελῶς ἐφέρετο, καθάπερ ναῦς ἀγκυρῶν ὀρφανὴ κύμασι (καὶ) χειμῶνι συνειλημμένη. *Jam vero Ætolorum, & Acarnanum res male affecta, & propter Domini eorum obitum laborantes, Imperatorem advocabant. Principatus enim, qui a vidua muliere, & immaturae aetatis pueris gubernari non posset, temere ferebatur, veluti navis ancoris destituta, quae hiberno tempore a fluctibus exagitatur.* In hoc igitur infelici rerum statu ab Andronico Juniore Acarnania spoliari, Nicephoro[40] puero contigit, Proceribus ultro sese ad illum conferentibus una cum Domina sua Anna, Protovestiarii filia. Ita Gregoras in dicto capite sexto libri undecimi. Hinc Angelorum res in deterius ire cœperunt: Etenim cum Acarnania Thessaliam quoque subegit, Græcoque imperio consociavit Andronicus. Hic in Gregora aliquantulum hæsi, qui non tenui difficultate me implicavit. Narravit superius in capite primo libri octavi, Michaelem Imperatorem, Annam[28], ex Armeniaca uxore susceptam, Thomæ Angelo, Epiri, Ætoliæque Principi nuptum dedisse: Quo a Thoma Cephaleniæ Comite interfecto, eidem conjugio copulatam; Et subinde lib. 11. c. 3. Joannem[36] Comitem, veneno ab uxore dato, ~~violenta morte occubuisse~~; atque ita cum puerulis duobus Ætolorum, & Acarnanum Principatum occupasse. Quapropter ex Gregora colligere datum, hanc Annam[28] fuisse filiam Michaelis Imperatoris, quæ prius desponsata fuerat Thomæ[35] Angelo, & subinde Thomæ ejus percussori, & tertio fratricidæ Joanni[36]: Sed non assequor, quod capite sexto libri undecimi dicat, filiam fuisse Protovestiarii: Nisi dicere velimus, in textum Gregoræ, lacunis hiantem, errorem aliquem irrepsisse, vel a Gregora utramque Annam confundi, quarum una, quæ filia fuit Michaelis, uxor fuerat Thomæ Angeli, & postmodum Comitis Cephaleniæ: Altera vero filia Andronici Protovestiarii,

C 2 uxor

(a) *Gregor. lib. 11. cap. 6. pag. 335.*

uxor fuit Joannis Angeli Despotæ, Cantacuzeno necessarii; cujus meminit lib. 1. cap. 54. & lib. 2. cap. 32. ex qua Nicephorum Angelum genitum testatur, qui Cantacuzeni gener fuit, Maria ejus filia in uxorem ducta. Nos itaque ut istis sentibus elabamur, Cantacuzenum, sequemur, cui, ut consanguinitate juncto, major fides in cognationibus exarandis, quam Gregoræ, habenda erit; & etiam adhibuit Du-Cangius. Sed nos nunc vocat Constantini Angeli Palæologi filius (a) Andronicus, cujus uxor, Alexii Apocauchi filia & opibus, & auctoritate magni nominis inter Græcos viri. Andronicum hunc Constantini, & Nicephorum Joannis Angeli filios, vel inter Angelos collocare noluit Du-Cangius, cum ponat Andronicum inter Palæologos, quorum stirps incerta, eumque Stratopedarcham facit, qui fuit etiam Protostrator; & Nicephori mentionem faciat in familia Cantacuzenorum ad numerum quartum, ubi de *Maria Cantacuzena nupta Nicephoro Duca Despota, ac Acarnaniæ Principi, Joannis Despota filio, ex Angelorum familia*. In quo gaudeo, Du-Cangium habere mihi assentientem. Ceterum genealogiæ Angelorum ipse finem statuit in filio Protovestiarii, quem anno 1326. obiisse tradit. Annæ obitum non recenset; Sed alteram Annam (b) Palæologinam, Michaelis filiam, fato functam tradit, Patre adhuc superstite: Quod juvat ad Gregoræ errorem deoperiendum, qui Joannem Comitem cum Joanne Angelo, Castoriæ Domino permiscet. Habemus etiam ex Du-Cangio, Constantinum, Protovestiarii fratrem, longe supervixisse, cum anno 1342. adhuc viveret. Nunc ad Nicephorum redeo, qui ab Andronico paterno Principatu exutus (c) Tarentum fugerat: Unde reversus Panhyparsebasti dignitate ab Imperatore fuit decoratus; cum antea (d) μεγάλου δομεστικου, *Magni Domestici* filiam Mariam, ei despondisset. Tunc temporis Magni Domestici titulo gaudebat Cantacuzenus. Defuncto autem juniore Andronico, Thraciæ (e) urbibus, quæ ad Hellespontum jacent, socer Cantacuzenus eum præfecit, Ænumque possidendum ei tradidit. Interea quidam Joannes Angelus, Thessaliæ Præfectus, Cantacuzeno consobrinus, quem anno 1343. Thessalis præfecerat, de quo infra dicemus, mortalitatem expleverat: Eoque mortuo, Stephanus Crales, Triballorum Princeps, Thessaliam, & Acarnaniam invadens (f), eas regiones sibi vendicaverat. Crales iste videtur, esse Stephanus Duscianus, de quo Maurus Orbini (g). *Tenso ancora conquistare tutto il paese*

(a) *Cantacuz. lib. 3. cap. 36. & cap. 55. Gregor. lib. 1. cap. 27. cap. 35. & 39. & lib. 3. cap. 3. 51. & alibi.*
(b) *Du Fresne de Famil. Byzant. Famil. 40. num. 7.*
(c) *Cantacuz. lib. 2. cap. 33. 36. 37. & 38.*
(d) *Idem lib. 2. cap. 33. pag. 453. & lib. 3. cap. 32. pag. 453.*
(e) *Idem lib. 4. cap. 28. & 42.*
(f) *Idem lib. 4. cap. 20.*
(g) *Maurus Orbini pag. 262.*

paese fin a Costantinopoli, *e senza dubbio averebbe posto in effetto questo suo pensiero*, *se non fosse stato prevenuto dalla morte. Occupò l' Albania*, *e si fece padrone di tutte le parti d' Epiro insino all' Arta : ne ardiva alcuno di resistergli ; Onde l' anno 1340. cresciutogli molto l' animo per tante prospere vittorie deliberò d' intitolarsi Imperadore* : & paullo inferius (*a*). *Inviatosi poi verso l' Etolia*, *aggiunse al suo imperio Joannia*, *ovvero Joannina Città*, *che prima si dimandò Cassiope. La Macedonia*, *che confinava col Fiume Assio*, *diede in governo a Zarco ec. Etolia fu data a Prialupo ec. il quale morto che fu*, *ciascuno di loro si ritenne per se quelle Provincie*, *che gli furono date in governo ec. L' anno 1354. e di sua età 45. passò a miglior vita.* „ *Animum quoque adjecit ad debellandam totam regionem Constantinopolim usque ; quod proculdubio executioni* „ *mandasset*, *nisi mors deliberationem suam prævertisset. Albaniam occupavit*, „ *totoque Epiro*, *Ambraciam usque*, *potitus est*, *occurrente nemine*, *qui ipsi resiste-* „ *ret. Hinc adeo prosperis victoriis*, *cum in eo crescerent animi vires*, *anno 1340.* „ *statuit Imperatorium titulum adsummere &c. Progrediens deinde Ætoliam ver-* „ *sus*, *imperio suo Joanniam*, *seu Joanninam urbem addidit*, *quæ prius Cassiope* „ *nuncupabatur. Macedoniam*, *Ascio flumini conterminam*, *Zarco regendam tra-* „ *didit &c. Ætoliam Prialupo &c. Sed ipso defuncto*, *quilibet Provincias suæ gu-* „ *bernationi commissas detinuit*, *&c. Anno 1354. ætatis suæ 45. ad superos mi-* „ *gravit*. Hæc omnia etiam in libro primo Calcocondylæ leguntur, quem brevitatis studio prætereo, ut citius ad Cantacuzenum redeam, apud quem si *Cralis* nomen legendum occurrat, Ducas observat (*b*), non Principis alicujus proprium nomen esse, sed barbaram appellationem, quæ Græce reddita *βασιλέα*, idest *Imperatorem*, designat. *Crales* apud Cantacuzenum (*c*) proprio nomine Στεπανω, *Stephanus*, appellatus occurrit. Audiamus nunc Cantacuzenum (*d*). Circa hæc tempora, post annos scilicet 1354. Νικηφόρος δὲ Δεσπότης Δοὺξ, τὴν κατέχουσαν τὰ Τριβαλῶν πράγματα στάσιν ὁρῶν, καὶ ῥᾶστα τὴν πατρῴαν ἐλπίσας ἀνασώσασθαι ἀρχὴν, ἄλλως θ' ὅτι καὶ Πρεάλιμπος, ὃς Θετταλίας εἶχε τὴν ἀρχὴν ἐτεθνήκει καὶ αὐτὸς τριήρεις ἐφοπλίσας ἐκ τῆς Αἴνου, ἐπέπλευσε τῇ Θετταλίᾳ, τὴν γυναῖκα πρὸς τῇ Αἴνῳ καταλιπὼν, καὶ ἀποβὰς, ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ εἶχε Θετταλίαν, τῶν ἀμυνομένων μὲν οὐδένων ὄντων, Θετταλῶν δὲ προθύμως προχωρούντων, καὶ ὥσπερ ἐκ κλύδωνος μεγάλου τῆς Τριβαλῶν ἀρχῆς, ἐπὶ τὴν Ῥωμαίων καταφεύγοντες ἥμερον καὶ γαλήνης μεστὴν ἡγεμονίαν.

Nicephorus Despota Dux, *Triballos discordiis intestinis laborare intelligens*, *facillimeque Provinciam paternam se recuperaturum sperans*, *cum præsertim & Prialimpus*, *qui Thessaliam regebat*, *diem obiisset*, *instructis triremmibus*, *Æno*, *ubi uxorem reliquit*, *in Thessaliam navigavit*, *quam descendens*, *nemine resistente*, *Thessalis prompte se dedentibus*, *ac veluti ex immenso fluctu Triballici domina-*

(a) *Maurus Orbini pag. 267.*
(b) *Ducas cap. 60. pag. 12.*
(c) *Cantacuz. lib. 1. cap. 43.*
(d) *Idem lib. 4. cap. 43. pag. 882.*

dominatus, ad Romanorum mansuetum, & tranquillitatis plenum imperium confugientibus, brevi totam in potestatem redegit. Sed postea Triballorum arma, atque impetum metuens, sibi, ac imperio suo prospiciens, primam uxorem Cantacuzenam repudiavit (*a*), aliamque superinduxit. Quocirca hac de caussa Albani ab eo aperte desciverunt, profitentes, nisi dissoluto Triballico matrimonio, Imperatoris filiam e Peloponneso, quo ad Manuelem Fratrem confugerat, in thalamum revocaret, pro ea, non secus quam pro suis ipsorum capitibus, adversus illum impigre bellaturos. Qui cum Triballicam dimittere recusaret, ad pugnam ventum est, in qua ab Albanis occisus fuit. Ejus mortem circa annum 1358. vel 1359. obvenisse judico; Cum Albanorum bellum contra Nicephorum Angelum occurrerit, Cantacuzeno jam Monacho, Palæologo Joanne, & Matthæo Cantacuzeno invicem pro Imperio dimicantibus. Sunt, qui hæc ad anteriora referant tempora. Nos tutiorem partem, Cantacuzenum sequentes, amplecti putaremus: Onuphrium, aliosque rejicentes, quos cum Gregora errasse, nec satis probe tempora Andronici Junioris, Cantacuzeni, & Joannis Palæologi digessisse, ideoque ab Cantacuzeno emendandos, autumat Pontanus: Quem tamen errare vult Du-Cangius, quando Gregoram cum Cantacuzeno corrigere præsumat. Cantacuzenum etiam reprehendit Boivin in notis ad Gregoram, cumque nullam fidem in Chronologia mereri, vult. In horum discordiis non sisto; nam quod unus altero auctior sit duobus, vel tribus annis, parum mihi obstat. Sed quoniam omne studium hoc nostrum enumerationem omnium Angelorum, qui a Græcis annalibus celebrati fuere, desiderat, ne in uno Joanne Angelo totam familiam desiisse, Maffejus nobis imponat; de reliquis, quorum postremi Græcarum rerum Scriptores meminere, licet dicere, ut sensim per ipsos ad Angelos nostros accedamus. Circa Joannis Cantacuzeni ætatem, ut ex ipso percipi potest, Angelus quidam fuit militiæ peritus, Cantacuzeni avunculus (*b*) de quo ipse ait, ὑφ' ἑνὶ γὰρ καθηγεμόνι τῷ ἡμετέρῳ θείῳ Ἀγγέλῳ τῷ μεγάλῳ στρατοπεδάρχῃ τὰ πολέμια ἐδιδασκόμεθα, *sub uno etiam Magistro avunculo nostro Angelo, magno Stratopedarcha militia rudimenta posuimus.* Joannem Angelum, de quo supra, temporibus illis Imperialis mensæ Pincernam, *πρωτεξάδελφον*, *primum consobrinum* Cantacuzeni, virum bellicosissimum, a quo in Thessaliæ Præfectura investitus fuit (*c*) vixisse cônstat. Ne Cantacuzeni de ipso testimonia omittam, verba tibi exhibebo. (*d*) ὁ τοῦ βασιλέως ἀνεψιος ὁ Ἀγγέλος Ἰωάννης, *Joannes Angelus, consobrinus Imperatoris* Cantacuzeni; Erat enim tunc temporis Imperator, qui de se ipso loquitur, cum sub Joasaphi Christoduli nomine historiam quatuor libris distinctam, de suo, & Andronici Junioris imperio scribat. Quod nomen adsumpsit, factus jam Monachus, ut ex Georgio Codino de Originibus Constantinop. desumitur: Ἰωάννης ὁ Καντακουζηνὸς, ὁ τῷ σχήματι μετονομα

(a) *Cantacuz. lib. 4. cap. 43. pag. 884.*
(b) *Idem lib. 2. cap. 4. pag. 205.*
(c) *Gregor. lib. 13. cap. 3. §. 6.* (d) *Cantacuz. lib. 3. cap. 27. pag. 456.*

νομα σθεὶς Ιωασαφ μοναχὸς ἔτη δεκατέσσαρα : Joannes Cantacuzenus , qui postquam factus fuit Monachus , nominari voluit Joasaph , imperavit annos 14. Angelo huic , propter Thessaliæ Præturam , bullam auream fecit Cantacuzenus : In qua & imperatori necessitudine conjunctus , & imperiali sanguine conspicuus dicitur . Ipsum quoque cognatum Annæ , Andronici Angeli filiæ (*a*) Gregoras asserit ; Nisi forte & in hac parte erravit (*b*). *Καὶ ὁ περιπόθητος αὐτάδελφος τῆς βασιλείας μου κύριος Ιωάννης ὁ Αγγελος , ὃς τῆς αὐτῆς ἡμῖν τοῦ γένους ῥίζης τετυχηκώς , καὶ βασιλικοῖς βρύων αἵμασι , λίαν ἐμαινετῶς αὐτεφιλονείκησε περιγεγενῆσθαι μᾶλλον ἁπάντων τῇ τῆς ψυχῆς εὐγενείᾳ , ἢ ὅσῳ περιγίνεται τῇ τοῦ σώματος : Et carissimus frater Majestatis Nostræ Dominus Joannes Angelus , eamdem generis radicem mecum sortitus , & imperatorio sanguine florens , cum sua eximia laude omnes magis nobilitate animi vincere contendit , quam eos corporis nobilitate antecellit .* Joannem hunc ex Isaacio Imperatore , seu per Alexium , seu per Manuelem , seu per alium ex Isaacii liberis descendere conjicio . Et hæc conjectura in eo fundatur , quod imperatorio sanguine illustris , & Cantacuzeni cognatus appelletur . Scimus enim , Joannem Cantacuzenum , Imperatoris Joannis Proavum , uxorem duxisse Irenem , Isaacii Imperatoris sororem . Sed si hæc conjectura minus placet , quia consobrinus Imperatoris dicitur , eam libenti animo dimitto : Nam cum sæpe *ανέψιός* a Cantacuzeno vocetur , ut observat Pontanus , & ex eadem radice generis ambo prodierint , filius fuerit Materteræ , aut alterius consanguineæ Cantacuzeni . Joanni Angelo filium aliquem fuisse , ex verbis ipsis bullæ , valde suspicor . (*c*) *ἵνα μὲν τὸ τοιοῦτο τῆς βλαχίας Κεφαλαττίκιον ἐφ' ὅρῳ παντὶ τῆς ζωῆς αὐτοῦ ἔχῃ , οὐ μὲν δὲ ἔχῃ ἐπ' ἀδείας τοῦς τοῦτο δοῦναι καὶ πρὸς παιδίον αὐτοῦ , εἰ μήπως ταξητοῦτο καὶ σέρξῃ ἡ βασιλεία μου , ὡς ἐξ ἄλλης ἀρχῆς , Hujusmodi Blachiæ Præfecturam usque ad extremum vitæ suæ retineat . Nec tamen libertatem ad Filium transferendi habeat , nisi id Majestas Nostra de integro jusserit , & approbarit .* Huic ætati suppares Magnus Logotheta Theodorus Metochites Angelus : Demetrius , & Nicephorus ejus filii , ut ex Cantacuzeno intelligi præcipue potest (*d*). Τοῦ *μεγάλου λογοθέτου τοῦ Μετοχίτου , Magnus Logotheta Metochites .* Magni Logothetæ filii Demetrius , & Nicephorus (*e*) : *Τῶν τοῦ μεγάλου λογοθέτου υἱῶν , Δημήτριος μὲν ὁ Αγγελος Στρουμβίτζης ἐπίτροπος , ex Filiis Magni Logothetæ Demetrius Angelus Strumbitzæ* , Macedoniæ urbi , *præsidebat* . Extitere etiam alii Angeli Fratres , teste eodem Cantacuzeno , *Οἱ δὲ ἐν Ἐδέσσῃ δυνατοὶ , οἵ τε Αγγελοι Ραδίπορι ἐπικλημένοι τρεῖς ὄντες ἀδελφοὶ* (*f*). *Qui*

Edessæ

(a) *Gregor. lib. 13. cap. 6. §. 5.*
(b) *Cantacuz. In bulla lib. 3. cap. 53. pag. 525.*
(c) *In bulla Cantacuz. lib. 3. cap. 53. pag. 526.*
(d) *Idem lib. 1. cap. 13. pag. 42.*
(e) *Idem lib. 2. cap. 43. pag. 129.* (f) *Idem lib. 1. cap. 54. pag. 169.*

.660

Edessa potentia eminebant ; Angeli Radifori cognominati , Fratres trigemini ; omnes uxorati. Legimus de alio Angelo, qui Canieleo præerat, cujus pariter meminit toties laudatus Cantacuzenus in his verbis (*a*). Τρίτῃ δὲ ἡμέρᾳ βασιλεὺς ὁ νέος, τὸν ἐπὶ τοῦ Κανικλείου Ἄγγελου βασιλέα πέμψας πρεσβευτήν. Canicleo, qui præficiebatur, erat vasculi purpurei coloris custos, quo Chrisobullis, & Sacris Diplomatibus subsignabant Imperatores, atque ideo sollemniter jubebant asservari. Hoc igitur sæculum, circa cujus initia omnem Angelorum posteritatem extinctam nos admonuit, & docuit Maffejus, hanc tantam effudit Angelicarum familiarum copiam, ut si nullum aliud superesset antiquitatis monumentum, quod nos de Angelorum ad sequens sæculum, & ad posteriora progressu certos redderet, nemo certe sanæ mentis reperiretur, qui hunc tantum familiarum numerum hoc sæculo omnino desiisse, affirmare audeat. Quidquid Maffejus effutiat, fallaciæ, & maximæ nugæ sunt. Quod si illi magnum est argumentum, Calcocondylam Atheniensem, qui Turcicæ gentis historiam ab anno 1300. ad annum 1463. decem libris comprehendit, neminem unquam hujus cognominis memorasse; Dicam, Maffejum prima Critices elementa ignorasse, ejusque argumenti, quod negativum appellatur, & de quo plurima extant apud doctissimos Criticos, vim, & usum non intellexisse. Nam argumentum hoc valet, dum apud antiquos, & syncronos scriptores alicujus facti, quod neotericus aliquis scriptor retulit, nullum habetur testimonium. Tunc merito quærimus ex quonam fonte illud hauserit, vel ex quonam antiquo monumento sumserit; Quod cum severo examini subjiciamus, si nihil horum proferat; jure irridetur. Sed cum nemo ex antiquis Scriptoribus res omnes, licet memoria dignas, vel saltem rerum circumstantias litteris mandaverit, ex aliis illorum defectus supplere licebit: Quapropter in iis, quæ omisit Eusebius, Socrati, Sozomeno, & Theodorito fidem non abrogamus. Quid ni, si de familia Angela apud juniorem Calcocondylam silentium est, seniores Pachymerem, Gregoram, Cantacuzenum, & Calcocondylæ syncronum Barletium, de ipsa loquentes, auscultabimus? Imprudentis esset, quosdam aliquando historicos, licet nullius momenti, omnino rejicere, quorum aliquis semper est usus; eo quia notitias, & circumstantias rerum nonnunquam narrant, quæ in aliis desunt. Quis ratiocinandi modus? Calcocondyla neminem unquam hujus cognominis memoravit. Non licebit igitur illius defectus cum Cantacuzeno, & Barletio supplere? Quod argumenti genus? Ob unius silentium ceteros repudiabimus? Meminit Cantacuzenus (*b*) Joannis Angeli Thessaliæ Prætoris, apud quem ejus filius natu minor Emanuel degebat: Meminit Emanuelis in Thessalia versantis etiam Calcocondylas (*c*); Sed de Angelo nec verbum facit. Dicendum ne erit, Angelum Thessaliæ non præfuisse? Mentio sæpe est apud eumdem Cantacuzenum illorum Angelorum, qui tum nascente, tum inclinante decimo-quarto sæculo Acarnaniæ, Thessaliæ, Ætoliæ, Epiroque adhuc

(a) *Cantacuz. lib. 4. cap. 40. pag. 868.*
(b) *Idem lib. 4. cap. 4.*
(c) *Calcocond. lib. 1.*

huc imperabant. Oculatus etiam totius Græciæ, & illarum Provinciarum testis fuit Calcocondylas: Porro Angelos, illarum regionum Principes prorsus præteriit: An ne Cantacuzeno non erit credendum? In septimo, & octavo libro Scanderbegi gesta exposuit idem Calcocondylas; Verum de Paullo Angelo Dyrrachino Archiepiscopo, & de Petro ejus Fratre, ambobus genere, & factis inter Albanos conspicuis, laborum, periculorum, atque consiliorum Scanderbego sociis, qui circa ipsius Calcocondylæ ætatem claruere, nihil scriptis mandavit; Attamen hos celebrat Barletius. Quæ igitur de ipsis Barletius scribit, neganda erunt, cum eadem non sint relata a Calcocondyla, cum in Epiro, & conterminis regionibus acciderint? Itaque canonem hunc, quem sibi sanxit Maffejus, inficeto Critico relinquamus. Quid mirum, cum de Angelis, qui usque ad inclinationem decimi-quarti sæculi Præturas, & Publica Munera gessere, quorum gesta, & casus celebrat Cantacuzenus, nihil memoriæ tradiderit Calcocondylas, si de eorum posteris, qui inter varia discrimina rerum privatam, & ingloriam vitam vixere, vel qui denuo circa initia sæculi decimi quinti, eorum nomina, claris undique per totam Græciam, & Epirum gestis, illustravere, apud ipsum nullus sermo est. Imperio Byzantino dum præfuit Cantacuzenus, cognationis suæ cum esset amantissimus, Angelos ad Officia, & Præturas illarum Provinciarum evexit, e qnibus ab Andronico Juniore fuerant extubati: Quæ a Carolo Tocco, seu Topia subinde occupatæ fuere, ut refert Maurus Orbini (*a*) cujus verba hæc sunt. *Occupò eziamdio l' Acarnania, l' Arta, & Etolia, & il paese di Acheolo insieme con Elide.* „ *Occupavit etiam* „ *Acarnaniam, Ambraciam, & Ætoliam, & Acheoli regionem simul cum Elide*. Sed imperii onere fessus, & adversæ sortis quodam tædio affectus Cantacuzenus, maturescente jam ætate Joannis Palæologi, cujus tutelam gesserat, cum se abdicasset imperio, & Monasticam vitam, otii, & quietis exuberantem, esset amplexus, Angelorum res adeo in deterius ire cœperunt, ut illi omnes qui infortuniis, & provinciarum turbationibus supererant, privatam vitam agerent, donec Andreas [42], Paullus [43], & Petrus [44] Andreæ filii, virtute opitulante, sese iterum in sublime tollentes, Angelis etiam mortuis dignitatem suam reddidere, nobilissimamque familiam, jam ad oblivionem redactam, pæne ab interitu vindicavere. Quod si ad aures Calcocondylæ, qui anno 1490. adhuc vivebat, horum fratrum gesta sermonis rumor non attulit, sufficientem habemus testem Barletium Scodrensem, qui temporibus illis in Epiro floruit; Firmæ probationes nobis erunt antiqua, quæ proferam monumenta, quæ falsitatis arguere Maffejus non potuerit. Exordium ergo faciamus ab Andrea [42] Angelo, consulto prætermittentes Michaelem ejus Patrem, quem primum inter Angelos collocat Du-Cangius (*b*) quos Drivastenses appellat, eo quia Drivasti incolæ fuere, eorumque familiam ab imperiali Byzantina distinguit; qua ratione

D ductus

(a) *Orbini pag.* 287.
(b) *Du-Cange Familia* XXXIII.

ductus ignoro : & simul obstupeo, quod, cum Ducaginis, Albanis Nobilibus indulserit, a Ducæna Græcanica (*a*) gente, quæ Constantinopolitanum Imperium diu tenuit, originem duxisse, hoc idem Angelis negaverit. Michaelis obitum anno 1465. statuit. Quæ de illius obitus tempore scribit, nec vera puto, & unde sum, serit, nescio. Quod si tunc temporis vixisset, a Barletio negligi non potuisset, apud quem satis honorifica mentio habetur Andreæ, qui circa initia Scanderbegani imperii, quæ anno 1439. assignantur, multa præclara facinora militiæ, summa felicitate, gessit : De quo Barletius satis ornate dixisse mihi videtur, hisce verbis : (*b*) *Andreas Angelus, unus ex Optimatibus, clarus vir factis, & emerita in bello laudis*. Sed cum Patris bellicam fortitudinem tantum fuerit prædicatus, in Petro filio, & generis amplitudinem, & factorum gloriam naturali quadam, & minime fucata laude, nulla verborum structura, aut circumscriptione, sed aptis constricta verbis, celebravit. (*c*) *Ad hostem quingentos equites Expeditos præmisit* Scanderbegus, *quibus Peicum Emanuelis, & Petrum Angelum Drivastensem, Andreæ filium præfecerat*, VIROS TAM GENERE, QUAM FACTIS CLAROS. Pari elogio Andreas Topia ab eodem Barletio nuncupatur CLARUS VIR GENERE, FACTISQUE. Fuit enim generis non privata nobilitate illustris, sed longo avorum imperio conspicui, Cum illius (*d*) *Majores fundatores Croja, & Petrellæ fuerit : ipsorum quoque non pœnitendæ vires, & sat amplum imperium in Epiro inter Tyrannam minorem, & Epidamnum fuerit. Croja conditorem* (*e*) agnoverat, *Carolum, divitem virum, ex nobili Topiarum genere, qui tempore, quo Scanderbegus Epiro potitus est, in Scuria, haud ignobili Epiri parte, inter Tyrannam, & Dyrrachium imperarunt*. Vide quæso, Vir Clariss. quid intersit inter exilem, & tenuem, e Drivasto petitam nobilitatem, quam Angelis istis facile se concessurum spondet Maffejus (*f*), & pridem largitus est Du-Cangius (*g*), & illam, quam Angelorum generi claram, & splendidam tribuit Barletius. Quale enim nobilitatis decus, aut stirpis fulgor ex oppido (*h*) *nec vetustate nobili*, nec certo conditore celebri, prodire potuerit, si Angelorum gens ex Drivasto esset exorta? Quam generis claritudinem ex obscuro oppido essent adepti (oppidum voco, ne nominum contentio cum Maffejo sit, modo enim oppidum, modo urbs a Barletio dicitur) nisi pridem aliunde, & a Majorum suorum celsitudine habuissent ? Sed compendiosum hoc, &

succi

(a) *Du-Cange Familia XXVII.*
(b) *Barletius in vita Scanderbegi, in antiqua Romana editione sęculi XV. lib.3. pag. 39. linea 12. & in editione Francofurti 1578. pag. 54. terg. lin. 19.*
(c) *Barlet. Romæ lib. 11. pag. 142. lin. 28. Francof. pag. 204. lin. 2.*
(d) *Idem lib. 2. pag. 16. tergo.*
(e) *Idem lib. 1. pag. 12.*
(f) *Maffejus epistolæ §. 6.*
(g) *Du-Fresne Famil. XXXIII.*
(h) *Barlet. lib. 3. & Maffejus §. 7.*

fucei plenum Petri, & avorum fuorum elogium, clara fatis, & dilucida oratione exaravere, anno 1475. *Egidius Mauroceno, & Dominicus Bollani, Provisores, & Syndici Dalmatiæ, atque Albaniæ pro Illustrissima Veneta Republica*, in Exemptionibus (a), quas Petri prædiis, ob non vulgaria ejus merita, quæ in ipsis enumerantur, merito, & optimo jure concessere. Ajebant enim, Petri *Progenitores ab inclyta Romana Urbe Originem traxisse*, ipsis constare. Novam Romam appellabant Græci Constantinopolis Urbem; immo Veteri exequabant: Et in Codice (b) Justinianeo hanc Arcadii, & Honorii legem habemus. *Urbs Constantinopolitana non solum Juris Italici, sed etiam ipsius Romæ Veteris prærogativa lætetur*. Obsecro iterum, Clarifs. Vir, repete temporum illorum memoriam, quibus Cantacuzenus Angelorum tantum commemorat numerum: Pone tibi ante oculos, tum Joannis illius Angeli, Thessaliæ Præfecti, tum ultimi illius Nicephori postremos dies, qui fuere circa annos 1358. vel 1359. Familiarum Angelicarum tantam copiam, quæ ad ætatem Cantacuzeni, nempe ab annis 1321. usque ad 1360. in Epiro, & Græcia vigebant, recordare: Andreæ Angeli, Petri, & Paulli patris ætatem reminiscere, cujus illustria facinora circa initia Scanderbegani imperii, quæ anno 1439. a Barletio tribuuntur, late prope Albanos viri fortitudinem, & militarem disciplinam designabant. Num tibi ob hanc brevem interpositi temporis distantiam, hæc a veritate longe abesse videbuntur? Num mendacia? Num insaniæ? Num decepti viri duo insignes, Mauroceno, & Bollani? Num delirans Barletius? An potius larvæ, intemperiæ, insaniæque sunt, quæ Maffejum exagitant? Quomodo fieri potuit, ut hanc fraudem imponerent in Epiro, & in oculis eorum, inter quos Angelorum Græcorum recordatio aliqua durare adhuc poterat: qui, si Patres suos interrogassent, qui illos nosce poterant, edocti fuissent? Quomodo hæc adeo recens traditio ab uno hoc Petro falli potuisset? Quomodo, quave fronte tam incaute, & palam imposturas contexere? Quomodo alti generis specimen in exiguo, & obscuro loco in oculos concivium ingerere? Si nullum superesset Scriptorum, aut Principum Virorum monumentum, quærerem, quam verisimile esset, cum non longo tempore elapso, in eadem Provincia, quam duorum pœne sæculorum spatio, modo administrarunt Angeli, modo aliquas in ipsa Urbes rexerant, inveniatur clara ejusdem nominis familia, hanc ex illa ipsa olim imperante fluxisse. Et nos omnes infatuare poterit, tot, tamque solidis argumentis extantibus, unius inficiatoris impudentia, ut ejus dictis potius, quam rationibus credamus? Sed cum hoc claris adeo, & firmis documentis probetur, quæ nisi latuissent Du-Cangium, sententiam mutasset, quis furor cepit Maffejum? Qui ut familiari eruditione præstantem se exhiberet, hanc Angelis nostris antiquitatis gloriam eripere, totis viribus, est enixus. Animadverte quæso Clarifs. Vir, quomodo Angeli celebres apud Rerum Orientalium Auctores his, qui per Illyricam historiam nobis innotuere, amicas porrigant manus. Nam cum genus hoc circa annum 1360. Cantacuzeno

 teste,

(a) *Exemptiones anni 1475. 10. Julii*.
(b) *L. unica. Cod. Instit. de priv. Urb. Constantinop.*

teste, in multas stirpes divisum esset, pluribusque monumentis insisteret; cumque varii recenseantur illustres viri, ubique ferme locorum in tota Græcia florentes, quidni putandum est ex eorum numero, saltem aliquos, ad finem sæculi decimi-quarti pervenisse. Andreæ porro Angeli, quem sub Magno Scanderbego militasse circa annum 1348. Barletius narrat, consiliorumque, & periculorum fuisse participem, natalis dies sub initium decimi-quarti sæculi venit collocandus. Hinc vide, quas in angustias, nisi de re sua conquiescat, sese conjiciat Maffejus. Supponat oportet, hanc annosam arborem, ramis onustam, & fructibus uberem, quasi de cælo tactam, repente aruisse, aliamque protinus in eodem solo, specie tenus similem, sed natura, atque indole diversam, tanquam ostentum apparuisse. Admittere debet vel invitus, Andream illum Drivastensem, vel saltem ejus Patrem, quibus forte cognomen familiæ Angelæ in hac repentina rerum mutatione obvenerat, aliena jura invasisse, aliena documenta occupasse, alienum stemma usurpasse, quod, vel ipso fatente Cangio, præfert insignia non vulgaris, & privatæ nobilitatis, populisque omnibus conterraneis, & Magnatibus fucum fecisse, qui propriis oculis veros Angelos occumbentes, spuriosque, & adulterinos nascentes vidissent. Fateatur, necesse est, deceptum Marinum Barletium, testem oculatum, & candidum historicum, delusos gravissimos illos viros, qui pro Veneta Republica Albaniæ præerant, ludibrio habitos Illyricos Proceres, & Regulos, Spanos, Cosazzas, qui, ut infra constabit, a cognatione cum istis Angelis non abhorruere. Hæc si aliqua probabilitate niterentur, Maffejo victas manus darem: quod si omnia secus se habeant, quam Critico nostro visum, quid ultra ab hominis levitate, & confidentia illudi patiemur? Non tamen reprehenderem, si leges illas servasset, quæ modestum hominem decent, & judicium animi citra damnum affectus protulisset, & nonnunquam fœdam, & insulsam scurrilitatem fugisset. Qua vi, quo impetu Angelos vexavit! Quo ardore, quo torrente insequutus est. Si peccarunt, genus, atavosque suos extollentes, nec erit extra culpam accusator, quem non puduit, levitate plusquam Græca, in supplici quodam libello, quem anno 1716. sexto idus Februarii Serenissimo pleno Sapientum, & Consiliariorum Collegio, exhibuit, familiæ suæ originem (*a*) ab anno Christi 800. deducere. Adeo cæci non sumus, ut ignorare debeamus, ante decimum-tertium sæculum in Italia cognominum usum vel nullum, vel rarum extitisse. Nolo irridere, si tres in familia sua S. R. E. Cardinales enumerat, & generi suo purpuræ splendorem tribuit. Hæc invitus refero, plura omitto, genus hominis signasse contentus. Quid memorem de perpetua omnium dignitatum serie, quibus gentem suam ornatam prædicat? Risum tene, si vales, dum libelli hujus vaniloquentiam audis. Non poterat quicquam commemorari, quod magis concinnum, & lepidum foret. Si hanc tantam rerum amplitudinem in aliorum genealogiis observaret, si in hoc conspicuo, & eminenti loco majores suos quis collocaret, &, deposito omni pudore, hujuscemodi centones gravissimis, at-

que

(a) *Supplicatio anni 1716. 8. Februarii.*

que amplissimis viris esset ausus farcire, hunc contumeliorum licentia, & sanguinanti lingua agitare nunquam desisteret Maffejus. Nos vero hæc in ipso non damnamus, nec hunc meum sermonem sic accipi volo, tamquam eam gloriam, quam sibi vendicat, denegarem; His, & majoribus etiam honoribus, & ornamentis referta ejus domus sit: Sed reprehendo, quod ab aliorum detrectatione ad sui ipsius laudationem sit digressus. Imperatoriam familiam, historiis, & monumentis prædicatam, in Europa undique claram, prius confidentissime fuerit criminatus, & jurgiis, & contumeliis, luto lutulentioribus, oneraverit; subinde majores suos inter semideos veneratus sit; ac si introspicere altius velimus, diis genitos reperiemus. Hæc tamen cum ad aures meas pervenerint, me infinita voluptate affecerunt, & summopere delectarunt: Severiores quosdam, & rigidos hæc eadem fastidire, atque irridere, audivi; hoc homine gloriarum pleniorem vidisse neminem, ac subdola modestia ingentes animos melius tegentem, qui cum de aliis tam demisse sentiat, semetipsum tam aperto capite in sublime ferat: Supplicem libellum hunc cum illo diplomate (a) anni 1488. quo Civitate Romana Maffeji donantur, & ex Bononiæ olim Dominis, atque etiam Pistorii sollemniter declarantur, rejicere: Nec ab antiqua illa Investitura, quam in paragrapho decimo-tertio suæ Epistolæ recenset, multum distare, in qua a Græco Alphæo concinne fluit Maffejana stirps. Non sum passus inauditum, & indefensum Maffejum hac censura damnari, & in obtrectatores insurrexi, qui illius antiquitati, & gloriæ breviores terminos constituerant, a quorum judicio certe dissentio. Sed quid multa de hac re ad

43

te scribo? Veniamus ad Paullum Angelum, alterum Andreæ filium, quem vix Episcopum dicere dignatur (b); cum ex Barletio, & innumeris Venetorum Principum Ducalibus Litteris, Archiepiscopum Dyrrachiensem fuisse constet: Quid si eum Cardinalem vocem, & a fel. recor. Pont. Pio II. designatum asseram? Anne pertinacem me dicet Maffejus, qui Du-Cangium reprehendit (c), quia Paullum Angelum Cardinalem appellaverit? Quod esse omnino falsum contendit; immo Barletium adducit testem, deceptumque ait Cangium ex Italico, *quem sæpius citat Libello Gestorum Scanderbegi. At opus illud per Marinum Barletium Scodrensem* [hæc sunt ipsissima Maffeji verba] *latine conscriptum est, qui nusquam hoc dicit, Italice vertit Petrus Rocha*. Ignoscendum profecto esset Maffejo, nisi testem arcesseret Barletium, ejusque fidem posceret. Teste suo contra Maffejum utar, ut illum ipsum lege Cornelia de Falsis meritissimo damnandum esse, cognoscas, qui Joannem Andream hac lege damnatum fuisse, affirmat. Ut verbis meis fidem præstes, non postulo; sed Barletio, & iis, quæ cum Barletio concordant, monumentis, ut credas, tantum

43

exposco. Sic ergo de Paullo Angelo Barletius. (d) *Paullus Angelus Dyrrachinus Archiepiscopus, qui omnium laborum, periculorum, atque consiliorum Socius,*

(a) *Maffejus Epistolæ §. 13.*
(b) *Idem §. 5.* (c) *Idem §. 7.*
(d) *Barl. Romæ lib. 11. Fol. 124. lin. 39. Francof. Fol. 176. terg. lin. 2.*

Socius, atque particeps [*veluti Ænææ alter Achates*] *Scanderbego fuit* : & lib. 11. de eodem loquens (*a*) : *sub eodem tempore Barbari Venetorum agrum in Peloponneso deprædati sunt. Ex quo Veneti, qui cum Scanderbego confœderati, plurimumque amicitia obstricti erant, Cabrielem Trivisanum Oratorem ad eum miserunt*. Qui ob veteres injurias, & fidem a suis non observatam [ut querebantur] atrox ab Epirotis responsum tulit. (*b*) *Quamobrem Venetus Orator, hujuscemodi responso habito, sententiaque illorum intellecta: re infecta, mæstus admodum a Scanderbego discedens, ad Paullum Angelum Dyrrachiensem Archiepiscopum,* [*quem noverat apud Scanderbegum, & Scanderbeganos plurimum fide, gratia, & auctoritate valere, nec quicquam esse tam magnum, tamque difficile, quod eis, cum vellet, non persuaderet*] *ut experiretur, an ipse Archiepiscopus vellet hanc provinciam sumere, & cum Scanderbego, & Præfectis ejus ageret, ut Ottomano bellum inferret, contraque eum arma sumeret; proculdubio namque fore sperabat, Scanderbegum cum suis militibus in Venetorum Sententiam facile iturum. Qui Archiepiscopus* [*ut Venetorum observantissimus erat*] *reverentia tanti Senatus*, ~~*non ad Scanderbegum accessit*~~. *Erat hic Archiepiscopus ex Drivasto URBE oriundus, Andreæ Angeli filius, de quo supra mentionem fecimus, vir summo ingenio, & singulari facundia præditus, excellenti doctrina; sacris, humanisque litteris, tam Græcis, quam Latinis apprime eruditus, & morum gravitate conspicuus, Christianæ Religionis ardentissimus; Quem Scanderbegus ob illius modestiam, vitæ cultum, & integritatem summa in veneratione habebat. Epirotæ, & Albani omnes, tamquam oraculum quoddam audiebant, & venerabantur*. Archiepiscopi ad Scanderbegum, suosque milites oratio, quos non flexit Venetus Legatus, animos fregit, eosque ad Turcicum bellum suscipiendum impellere potuit. Hæc eadem honorificis patentibus Litteris testatur Gabriel Trivisano, de viro erga Venetam Rempublicam emerito, hisce verbis. (*c*) *Consilio, & opera sua effecit, ut Illustrissimus Dominus Scanderbey Turchis bellum intulerit, cum quibus jam pacem inierat, ac Nostro Dominio amore, fœdereque se strinxerit: Is nostro rogatu bis Italiam propriis sumptibus petiit, Orator Domini Scanderbey memorati ad Serenis: Regem Ferdinandum, & semel ad Illustrissimum Dominum Ducem Mediolani, ut huic expeditioni adversus impios Turchos sua legatione proficeret: huic in castris, locisque aliis, ubi opus fuit persona ejus, neque labores, neque expensa defuerunt*. Plura leges, si tibi placebit in Litteris ipsis. Ille etiam in Ducalibus Pasqualis Maripetro (*d*) Litteris multa laude ornatur, pro perpetuis ejus in Venetam Rempublicam meritis, eique gratiæ habentur, quod Reipublicæ quattuor hominum milia ex suis, totidemque milia e sui Archiepiscopatus subditis obtulerit ad tutelam Dyrrachii, qui tunc temporis sub Venetorum domi-

natu

(a) *Barl. Romæ lib.* 11. *pag.* 135. *lin.* 11. *Francof. pag.* 193. *lin.* 31.
(b) *Idem Romæ lib.* 11. *pag.* 136. *lin.* 23. *Francof. pag.* 195. *lin.* 7.
(c) *Cabrielis Trivisano patentes litteræ, datæ Antibari anno* 1465. 25. *Julii.*
(d) *Ducales litteræ Pasqualis Maripetro* 1461. 8. *Junii.*

natu erat. Ex iſtis documentis arguat Maffejus Angelorum ſtatum, & potentem cognoſcat in Epiro familiam, quæ quattuor hominum milia in Venetæ Reipublicæ auxilium concedere potuit; non autem e penſione (*a*), quæ ſingulis menſibus quattuor Venetorum Ducatorum e Patavino ærario reſpondebatur Petri filiis. Quæ, priuſquam Drivaſtum a Turcis occuparetur, in vigintiquatuor hypperperis menſtruis, a Drivaſtenſi ærario perſolvendis, fuerat ſtatuta. Jam ſcio, nullum ex hoc argumento a te inſtitui, vel quanti pendenda ſit Veneta, ubique, & ſemper ſpectabilis magnificentia, vel quanti metienda Angelorum acti temporis eminentia. Miraberis potius, accuratum illum Nummi Veronenſis Scriptorem haſce nugas deblaterare. Hoc ſolum non prætermittam; Quod in Litteris Franciſci Capelli, Albaniæ Proviſoris, anni 1468. ſexto Kal. octobris legitur.

(*b*) *De certa quantità de Formento, che per mio ordine e ſtà mandato da Durazzo ad Aleſſio, ſcripſi al Spettabile Camerlengo di detto loco dovesse dar ſtaro uno per cadauno di quelli poveri Zentilhomeni, ſo del quondam Sign. Scanderbego, azò fin ſe farà altra proviſione li meſchini poſſano viver.*

Ex quadam tritici quantitate, quæ meo juſſu ex Dyrrachio Alexium miſſa fuit, ſcripſi Spectabili Camerario ejuſdem loci, ut dare deberet ſtarium unum cuilibet ex pauperibus illis Viris Nobilibus, Domini Scanderbegi filiis, ut illi infelices vivere poſſint, uſquequo proviſum fuerit.

Quis temperet a lachrimis, cum filiorum ſummi, fortiſque viri, ac magnanimi Principis ærumnas audiat? De liberis enim illius Scanderbegi ſermo eſt, qui belli fulmen, Turcarum terror, Epirotarum decus fuit, (*c*) *quem una cum Majoribus ſuis in annos centum in Macedonia, & Epiro regnaſſe ferunt: Qui tot, & tam præclara facinora pro fide Catholica adverſus Turcas geſſiſſe dicitur:* Qui Crojam (*d*) *a Tyrannide Barbarorum, Principe Amurathe, ſtrenue liberavit. Quam cum quinque, & viginti annos poſſediſſet, vergens in ſenium, veritus, ne denuo aliquo modo à Barbaris opprimeretur, Venetorum Principi libere tradidit.* Sed ne a propoſito aberraſſe videamur, conferamus modo cum Angelorum monumentis, & ſcripturis, quæ Barletius narravit. (*e*) *Scanderbegus tandem, perſuaſione, & opera dicti Domini Archiepiſcopi, Civitatem Croja in manibus Dominii Noſtri conſignavit, & ſpreta pace Turcorum, adhæſit Dominio Noſtro, ipſiſque Turcis acerrimum bellum, & damna multa intulit, ſemper conſervando Statum Dominii Noſtri.* Fallit, ſeu volens fallitur Cominæus

(a) *Ducales Excellentiſs: Senatus anni* 1475. 10. *Junii*; 1478. 16. *Februarii*; 1517. 26. *Maii*, *Leonardo Lauretano Duce*.
(b) *Litteræ Capelli Paullo Angelo Archiep.* 1468. 27. *Septembris*.
(c) *Barletius de Scodrenſi, obſid. Baſileæ* 1556. *lib.* 3. *pag.* 440. *lin.* 1.
(d) *Idem lib.* 1. *pag.* 400. *lin.* 27.
(e) *Exemptiones anni* 1475. 10. *Julii*.

næus (*a*) ; dum asserit, a Constantini Comini Patre Venetis pignori datas Scodram, & Crojam; Cum fidem nimiam habuerit ipsi Constantino hæc, & similia vanissime fabulanti. Nec æquo judicio levitatis reprehendit Dyrrachinum Archiepiscopum, si tamen de Paullo Angelo loquatur, qui summis laudibus a Barletio cumulatur. In quo nativo furori nimium mihi videtur indulgens. Eja vero familiæ suæ magnifica Diplomata, & Chyrographa modo proferat Maffejus, & vanitudine suorum cetera omnia vanitatis accuset. Sed nullum Litteris meis finem ponerem, si omnia, quæ ad rem pertinent, tibi vellem exponere. Unum, quod mihi restat, quando ad Cardinalatus dignitatem Paullus fuerit designatus, breviter, non meis, sed Barletii verbis ostendam. Bellorum incendiis arserant Orientales omnes Christianæ regiones, Turcarum sævitie longe, lateque grassante. Soli Epirotæ, gnavi, & fortes viri, (*b*) *stirps generosa, & genus regale, sanguis Æacidarum* sub uno Scanderbego Imperatore, virtute, assiduitate, summisque periculis ingentem armorum impetum sustinere potuerant. Mærore, ac sollicitudine tantæ regionis eversæ, nobilium, amplissimarumque Urbium dirutarum, Pius Pontifex angebatur. Atque ideo magno Christianorum exercitu instructo, adversus Turcas ire flagrabat. (*c*) *Circumferebant* [sunt verba ipsissima Barletii, quibus Petri Rochæ versionem appono, in qua si quid additum, si quid demtum invenies, Maffeji Critices saltem in hac parte erit probanda.]

Circumferebant jam ubique, Pium Pont. Max., contractis undique viribus, & copiis omnium Christianorum in unum coactis, prope diem adversus Ottomanum egressurum, qui ut primum in Epirum, & Albaniam trajecisset, in Urbe Dyrrachina, post Rem divinam factum, Paullum Angelum, ejusdem Urbis Archiepiscopum, de quo superius mentionem fecimus, in culmine Præsulatus, & secunda a summo Præsule, & Pont. Max. dignitate, quam nunc Cardinalatum appellant, insignire, atque sublimare,

(*d*) *Per tutto si diceva, che Papa Pio, raccolte d'ogn' intorno le Forze, e ridotte insieme le genti di tutti i Cristiani, di corto era per gire contra Ottomano. Il qual subito, che fosse passato in Epiro, & in Albania, entrarebbe nella Città di Durazzo, & ivi nella Chiesa, dapoi i Divini Uffici, farebbe Cardinale Paolo, Angelo, Arcivescovo di quella Città, del quale di sopra abbiamo fatto mentione, la qual dignità è la seconda dapoi il sommo Pontefice,*

Quæ præcesserant voces, & rumorem vulgi audisti. *Interim* [subdit Barletius] (*a*) *Litte-*

(a) *Philip. De Comines lib. 7. cap. 14.*
(b) *Barl. de Scod. Obsid. lib. 3. pag. 433. lin. 33.*
(c) *Idem de Vita Scanderbegi Romæ lib. 11. Fol. 138. tergo lin. 30. & Francof. lib. 11. Fol. 198. tergo lin. 17.*
(d) *Petrus Roccha Venetiis 1568. lib. 11. pag. 351. lin. 6.*

(*a*) *Litteris Summi Pontificis* Scanderbego *nuntiatur, quod ipse cum innumeris copiis, cruce signatis, contra Ottomanum prope diem egressus erat, & Anconæ Portum, maritimaque petiturus, quo inde in Epirum cum universo exercitu trajiceret. Ubi primum Paullum Angelum Dyrrachinum Archiepiscopum in Cardinalatus dignitatem, & purpuram adsumeret, Scanderbegumque Albanorum, atque Epirotarum Regem declararet;* Hæ Litteræ allatæ fuerunt anno 1463.

(*b*) *Li fu annonciato per lettere del Sommo Pontefice, che esso tra pochi giorni era per uscire di Roma, e gire contra il Principe Maumetto con innumerabili squadre segnate del segno della Croce: Et venirsene al porto d'Ancona, & a li luoghi della marina. Accioche di là con tutto l'essercito passasse in Epiro. Ove prima facesse Cardinale, & assumesse nella porporata dignità Paolo Angelo Arcivescovo di Durazzo; e dichiarasse Scanderbego Re degli Albani, e degli Epiroti.*

Nonne si Maffejo innotuisset Barletius, cum ab hac impostura revocare debuisset? Sed vidit, nec solum a mendacio abhorruit, aut mendacem esse timuit; immo Angelos deceptores vocat, & Du-Cangii miseretur, & dolet, quod a falsariis istis in hac parte (*c*) fuerit deceptus. Hunc nos hominem tam paratum, tam callidum, tam acrem, veluti oraculum auscultabimus? Adeo excordes, adeo cæci, adeo incogitabiles erimus, ut ab ipso illudi patiamur? Et manifestæ falsitatis reus deprehensus nobis adhuc tenebras trudere poterit? Quis modo erit tam aversus a vero, tam præceps, tam mentecaptus, qui ejus viam insistere, & puris putis futelis subscribere velit? Quod si in Du-Cangii genealogia reperit, quod pueri clamitant in Faba se reperisse; Nempe Demetrium de Francis a genealogia delendum, quia revera Paulli Archiepiscopi frater non fuerit, nec esse potuerit; non ideo plausibus, & clamoribus erit excipiendus, quasi rem maximam insperato invenerit, aut ab saxo navem averterit. Nunc quoniam illustratæ, patefactæ, compertæque sunt Maffeji fallaciæ, non tamen omnes: cum multa tacuerim, multa pertulerim, multa retundere, Deo opitulante, paratus sim, reliqua, quæ familiam hanc spectant, percurram. Talis erat, ut intellexisti, horum virorum status: talis temporum illorum potentia: talis gloria, decusque fuit: altius lapsi temporis: humilius sequentis. Nam defuncto Scanderbego, omnia longe, lateque evertentibus Turcarum armis, Drivasto capto, totaque Epiro subacta, amissis opibus, laribusque profugi, in extremis hisce malis, hoc ipsis solatii contigisse putarunt Angeli, Venetias petere, & in Venetorum Urbem, de qua adeo emeriti fuerant, se recipere; Ubi fortunæ actutum adversanti cedere debuerunt: Quo factum est, ut occasione sublata, ab eorum posteris, quorum tamen aliquis non sine laude

E erit

(a) *Barlet. lib.* 11. *pag.* 140. *ter. lin.* 10. *in edit. Romana: & lib.* 12. *pag.* 201. *lin.* 35. *Francof.*
(b) *Petrus Rocha lib.* 11. *pag.* 355. *lin.* 9.
(c) *Maffejus Epistolæ* 5. 7.

erit memorandus; nihil ſplendide, nihil magnifice in poſterum geſtum ſit: Grave nihilo minus tantas inter anguſtias, ingentium animorum teſtimonium in Angelis paupertas fuit: Quippe etiamſi, animo in humiles cogitationes aliquantulum demiſſo, res adhuc magnas ſervare, & ſopitas ſuſcitare potuerint. Hiſce infortuniis comitem ſeſe adjunxit quinque filiorum numerus (*a*) ex
44
Petro, & ejus uxore Lucia, filia Alexii Spani. Hunc Spanum Nobilem vocat Albanum Du-Cangius (*b*): Verum Barletius ait (*c*) filium fuiſſe Petri Iſpani, *tam felicis Patris, quam fortunati Principis*. Vide amabo, quantum interſit inter Virum Nobilem, & Virum Principem, ex cujus cognatione Ange-
45
lorum genus iterum dignoſce. Alexius Angelus, unus ex Petri, & Luciæ li-
46
beris, in bello adverſus Turcas glorioſe objiſſe dicitur. Paullus (*d*) Drivaſtenſis Canonicus ex Demetrii Franci reſignatione, Briannenſis Eccleſiæ, quæ in Agro Novalis eſt, (*e*) Parochus evaſit; & anno 1517. (*f*) a Veneto Senatu obtinuit, ut penſio 24. hypperperorum, & ſubinde quattuor ducatorum,
48
in ſingulos Menſes Patri conceſſa, ſibi, & fratribus prorogaretur. Andreas tertius frater, Canonicus ~~perinde Drivaſtenſis~~ (*g*) Rector fuit Parochialis Eccleſiæ S. Angeli de Sala in Agro Patavino. Hunc irridet Du-Cangius, quia in Teſtamento, quo heredem inſtituit Petrum ex fratre nepotem, corpus ſuum Romæ in Eccleſia Aræ-Cœli, in Catharinæ Boſnenſis Reginæ tumulo, quam cognatam appellat, ſepelliri juſſit. Nec abſtinet a riſu Maffejus (*h*), quod in Motu Proprio, ut vocant, Paulli III. idem Andreas nuncupetur ejuſdem Reginæ conſanguineus. Si viri iſti duo vanitatem hominis ſolummodo criminarentur, quia loco non ſuo regiæ affinitatis meminerit, me quoque in eorum ſententiam traherent: Sed ſi cognationem hanc, tanquam mendatio confutam, reſpuunt: Maffejo ignoſco, cui ultra ſapere in hac re non eſt datum: Du-Cangium vero inclementiæ condemno, quem non latuit, Catharinam uxorem Thomæ Regis Boſnenſis, fuiſſe ex familia Coſſazza, Ducum S. Sabæ, Nobili apud Slavos, & ſubinde inter Venetos, cujus geneſim tum ex Mauro Orbini, tum ex aliis monumentis fuſo ordine texit. Quippe operæ pretium fuiſſet hominis ingenioſi, & comis, qui urbanitati animum adjicere debuiſſet, ne hanc affinitatem irridiculo haberet: Quin immo ipſum decuiſſet liberali manu concedere; Equidem nullam in ipſa repugnantiam intuitus ſum. Confeſſus enim fuit,

---

(a) *Ducales Veneti Senatus* 1517. 26. *Maii.*
(b) *Du-Freſne Famil.* 33. *ad num.* 3.
(c) *Barlet. de vita Scanderb. Romæ lib.* 2. *pag.* 17.
(d) *Ducales* 1478. 20. *Januarii* 1481. 27. *Auguſti* 1482. 24. *Septembris*, & 27. *Octobris*, & 1483. 8. *Aprilis.*
(e) *Bulla Leonis X.* 1513. *Idus Decembris.*
(f) *Ducales* 1517. 26. *Maii.*
(g) *Bullæ Paulli III.* 1548. *Kal. Maii*, *Clem. VII.* 1526. *Idib. Martii*, *Paulli III.* 1545. *Quinto Idus Decembris.*
(h) *Maffejus Epiſtola* 5. 7.

fuit, nobilitatem, nisi imperatoriam, saltem gloriosam, nec a propinquitate hujuscemodi Regulorum alienam. Obstupens itaque exposco, quænam res tantos excitet risus. Et quoniam negotium in hoc discrimen adductum est, necessitudinem hanc monumentis ipsius familiæ Cossazza ostendam. Scias igitur oportet, Stephanum Sancti Sabæ Ducem, qui a Mauro Orbini Illyrico nomine appellatur *Herzeg*, quattuor filiorum Patrem extitisse, Ladislai, seu Slava appellatione Wladislai; Catharinæ, quæ Thomæ Bosnensi Regi nupsit; Stephani, & Wlatici, ut ex Mauro Orbini, & Du-Cangio compertum est. Wlaticus genuit Joannem, cujus filii plures, inter quos alter Wlaticus, quorum majores cum Veneta Civitate donati fuissent, ipse etiam ad publica munera aliquando evectus mihi videtur. Hic ex Tarvisio scribens Hieronymo Angelo, Andreæ Fratri, suum consanguineum appellare non dedignatur Angelum, seque necessitudine (*a*) junctum subscribit Epistolæ. Tu vides, an jure optimo plurimum credere possim testi huic uno potius, quam vaniloquentiæ, & risionibus Cangii, & Masseji. Vides enim Catharinam Bosnensem Reginam sororem fuisse avi hujus secundi Wlatici, seu, ut ajunt, ejus Materteram Magnam. Quid multis verbis opus est? Si Wlatico affinis fuit, cur Catharinæ non fuerit? Quod si viso est opus: Epistolæ, quæ apud me genuina est, exemplum ad te mitto, ipsam perlege: & ne omnino somniculose ipsam percurrisse videamur, adverte, sub finem Epistolæ a Cossazza celebrari Imperiale Hieronymi genus, non quasi laudaturo, sed solummodo felicitatem tanta progenie dignam auspicaturo: Nec titulum Illustrissimi, & Excellentissimi prætermitte, Viris Principibus tunc temporis solum concessum, nec adhuc a Venetis Senatoribus, nedum a Nobilibus Viris in usu habitum. Verum res postulat, ne nimium longe aberremus. Hieronymus iste militiæ nomen dedit, & inter viros sua ætate illustriores accensetur, eique Bernardinus Scardeonius Rerum Patavinarum egregius Scriptor, elogium rerum belli gestarum confecit sequentibus verbis (*b*). *Non est hic prætereundus omnino Hieronymus ab Angelo (c) vir strenuus, & militari disciplina, & ingenti corporis, & animi virtute praditus. Is apud Joanninum Medicem Pontificii exercitus Imperatorem primus Dux fuit, & ejus, ubicumque abesse contigerat, Vicem-gerens: Qui post multa praclara facinora, cum maximo honore patria, dum apud Insuberes Girlasdum oppidum munitissimum expugnare contendit, & dum pluris gloriam, quam vitam facit, tormento ictus, in ea pugna gloriose occubuit.* Ab Angelo etiam Portinario memoratur, sed nimis jejuna oratione.

(a) *Epistola Vulatici Cossazza* 1574. 17. *Septembris.*
(b) *Scardeonius Basilea* 1560. *lib.* 3. *pag.* 353. *De Hieronymo ab Angelo.*
(c) Ab Angelo, *Angeli vernaculo, & rudi Veneto vocabulo vocabantur, modo* Anzoli, *modo* de Cha Anzolo, *quod tenuit Scardeonius.*

672

(*a*) *Girolamo dall' Angelo fu Luogotenente di Giovanni Medici Generale dell' Esercito della Chiesa. Morì, mentre si dava l'assalto ad una Fortezza di Lombardia.*

Hieronymus ab Angelo Vicem-gerens fuit Joannis Medices Pontificii exercitus Imperatoris: Obiit in expugnatione cujusdam Langobardiæ oppidi.

In Veneto exercitu primum meruit (*b*) postmodum in Pontificio: Ab Julio Papa III. Sanctæ Sedis Scutifer, & Familiaris appellatur (*c*). Huic ex Ursula conjuge liberi aliquot superstites fuere (*d*). Tandem Jo:[47] Demetrius filiorum Petri numerum claudit, qui Franciscam Magnam, Bartholomæi Magni, Nobilis Veneti, filiam uxorem duxit, ex qua filium unum Petrum[50] suscepit. Hisce tribus Fratribus, Andreæ[48], Hieronymo[49], & Joanni[47] jus-patronatus eligendi, & præsentandi Parochum, quo ipsa fruebatur, anno 1540. Communitas Briannæ donavit. Quam donationem postea confirmavit, seu jus hoc patronatus Angelis iterum concessit Julius Papa III. eo quia & ruinam minitantem repararunt Ecclesiam, & pauperem dotarunt; ut ex Apostolicis Litteris anni 1551. decimo-quarto Kalendas Novembres dignoscitur. Ecclesiæ dotem denuo auxit Hieronymus anno 1573. 26. Septembris (*e*). Sed donationem hanc falsam improbat Maffejus. Audiamus igitur novum hunc peritum juris hominem, atque ejus exquisitam, & reconditam doctrinam (*f*). *Quanam nova hæc Veneti juris regula, ut Communitas donare possit?* Quam legem attulit? Quod testimonium adduxit? Unde Veneti juris hanc regulam sumsit? Erubescat sine lege loqui, nec omnem rationem in vaniloquio ponat. Non moleste feram, si donationis falsitatem explicabit: Nam caussa cognita, quod objiciet crimen, dilui poterit; incognita quidem, falsitatis condemnari non potest. In quo ergo hanc falsitatis notam reperit? An in eo, quod Communitas donare non potuisset? Et hoc contra jus, & justitiam factum dicere debuisset; aliud enim est injustum, aliud falsum esse. An quia falsa sint, quæ enunciantur? Nec hoc dicere potest; quin immo, quod vera sint, concessit. An eo quia Instrumentum hoc vere confectum non fuerit? Et in hoc eum mendacii arguam, si donationis Instrumentum proferam, ex quo locum, ubi factum fuit, leget; Notarii, qui scripsit, nomen videbit, ut facili negotio Protocollum [sic Codex ille vocatur, in quo acta publica servantur] reperire poterit. Sed hæc omnia vidit, & ut notatione digna observare debuisset, & tum falsi crimen objicere, cum Instrumentum non invenisset. Mihi tamen auctographum reperire contigit, in quo

(a) *Angel. Portinar.* 1626. *lib.* 5. *cap.* 8. *pag.* 171.
(b) *Ex Mandato* 1554. 3. *Octobris, & alio* 1590. 25. *Septembris.*
(c) *Bulla Julii III.* 1551. 14. *Kal. Nov.*
(d) *Fides Nuptiarum* 1575. 8. *Februarii.*
(e) *Instrum.* 1573. 26. *Septembris; Pagina* 1573. 15. *Octobris; Donatio* 1540.
(f) *Maffejus Epistolæ* §. 12.

quo Demetrius solummodo de Francis appellatur, nullo superaddito cognomine. Quapropter errorem in Malvetii editionem irrepsisse dicas, in qua *Demetrius de Angelis, alias de Francis* dicitur. Quid respondere poterit Maffejus? Nunc ipsum adjuvo. Post annos centum jus, quod donaverat, ab Angelis repetere enixa est Communitas: Hinc contentio oborta inter Angelos, & Communitatem, cui etiam interfuit Tarvisinus Episcopus. Quid putas? Falsi querellam intentatam? nequaquam; Sed coram Excellentissimo Collegio anno 1645. pridie Kalendas Aprilis, juris-patronatus caussa agitata fuit inter Tarvisinum Episcopum, Angelum Mariam, & Marcum fratres Angelos, & incolas Briannæ, in qua actor videtur Episcopus, qui beneficii collationem ab ipso factam cuidam Nicolao Viviano, tamquam jure factam, adprobari petebat. Exceptiones dabant Angeli, & Communitas, jusque omnes repetebant suum. Cunctis suffragiis rejecta fuit Episcopi petitio: Inter Angelos, & Communitatem quæ intercedebat, adhuc sub judice lis est, (*a*) tribus suffragiis Angelorum petitioni adstipulantibus, uno tantum Communitati favente. Age vero, si quid restat, objiciat: Nam, si quid impudentia potest, facile vincet. En pulcherrimam, quam sibi statuit, Critices legem: Omnia inficiari, si quæ ipsi minus placent. Sed quod ridiculosissimum est auditu, male sibi morigerus iste Criticus, ab iisdem se abstinere vitiis non potest, in quibus alios reprehendere posse putat. Dum fallacias nimia severitudine improbat, in offucias incidit: Dum falsarios falso prædicat, falsimonias non vitat: Dum nodos in Scirpo quærit, in plagas sese impedit. Quis obsecro, objurgatorem hunc ferat, qui in vitio, quod in aliis reprehendere profitetur, ipse deprehenditur? Quis conviciatorem hunc patiatur, qui tot innocentibus contumelias dixit? Adulterare res omnes: Veteratores: Nebulones: Mangones: Impostores: Falsarios; & parum abfuit, quin perditos, nefarios, scelestosque dixerit. Quis ipsum defendere posset, si hæc eadem ipsi objicerentur? Quis hominem hunc laudare poterit, qui in accusando, non virtute, non innocentia, non pudore, non comitate est usus? Verum cum hæc ex dictis probe cognoscere possis; ex eis, quæ dicenda sunt, melius perspicies: Nunc igitur proficiscamur ad reliqua. Joannes [47] Demetrius, cujus meminimus, unum filium habuit Petrum [50], quem a Patruo Andrea [48] heredem institutum audisti. Hic anno 1591. Apostolicæ Cameræ Judicio obtinuit (*b*), ne quidam Joannes Georgius de Cephalænia inquisitus, ut Criminalistarum verbis utar, & processatus pro usurpata jurisdictione Militiæ Constantinianæ, cujus inscribebatur M. Magister sub Privilegiis a Summis Pontificibus Andreæ Angelo concessis. De hac sententia loquitur etiam Pater Papebrochius (*c*). *Invenitur Sententia magni illius Juris-consulti Prosperi Farinacei [cujus multæ Decisiones postea in lucem prodierunt] tum sub Camillo Burghesio, Cameræ Apostolicæ Auditore, Vicarii in Criminalibus, lata in Joannem Geor-*

(a) *Sententia Excellentissimi Collegii 1645. 31. Martii.*
(b) *Sententia 1591. 12. Octobris.*
(c) *Papebr. die 23. Aprilis.*

Georgium de Cephalonia, qui se falso jactaverat hujus juris heredem contra Petrum Angelum, Joannis Andreæ Angeli Patrem. Quæ Sententia cum a Farinaceo pronunciata esset anno Domini 1591. postmodum anno 1594. (a) per Pompejum Molellam, Francisci Aldobrandini, a Clemente VIII. ad hanc quæstionem specialiter deputati, Vicarium confirmata est. Fuit autem gravis admodum Sententia, ut scilicet damnaretur dictus Cephalonius exsilio perpetuo, nec unquam ei liceret accedere propius ad Pontificias ditiones, sed reliquam omnem vitam in triremibus ageret. Neque lata tantum, sed & perlata, & executioni data Sententia est; mansitque in triremibus miser Cephalonius usque ad annum 1597. tum enim, grandioris ætatis reverentia, exsolutus supplitio est; ea tamen lege, ut capitali supplitio obnoxius foret, si unquam alias præsumeret creare Equites. Aliter de hac Sententia sensit Maffejus (b) Papebrochium, qui sententiæ fidem habuit, irridens. Negat Sententiam hanc Romæ reperiri, quam ipse *non exiguo tædio, & labore* frustra perquisivit: Sed solummodo invenisse affirmat *in Archivio Auditoris Cameræ acta quædam hujus caussæ in Broliardo [ita actorum libros appellant] Belgii Notarii ab anno 1590. ad 1597. & ex iis fraudem olfecit; ita ut litem hanc ad fidem aliquam ab impostore inceptam, vel nullo contradicente, vel prævaricatore sibi apposito, facile crediderit; adversarii siquidem nulla extant acta, & cum Sententia, quæ exhibetur, XIII. Octobris promulgata dicatur, in iis actis Decembri mense adhuc ad Sententiam citatur.* Canem esse, quam aliam bestiam, hunc quidem magis par fuit, qui nasum adeo sagacem habet, ut cito fraudem olfecerit. Si tamen jubeas, ut ipsi credamus, Sententiam non invenisse, lubens credo. Sententia nihilominus ingratiis, atque invito Maffejo extat. Si vero supposititiam asserit Sententiam hanc Clarissimi Icti Prosperi Farinacei; quare non negat Sententiam anni 1594. diei 25. Maii latam a Locumtenente (c) in Criminalibus, & in hac caussa Judice Commissario a Santiss. Domino Nostro Clement. VIII. specialiter deputato; qua Farinacei Sententia executioni mandatur? Sed cum hanc infitiari nequeat, nec primam, quæ a secunda confirmatur, falsam credas. Me non latet, cur non fuerit ausus secundi illius Judicii mentionem facere. Allegabat Georgius de Cephalænia Sententiam illam, quam Petrus Caballus (d) recitat, a Valerio Pinzocco contra Joannem Andream, Petri filium, latam [nam tunc temporis Petrus objerat]; Quod infelici Georgio nihil profuit, cum judex sibi examen reservaverit *super validitate, & invaliditate Sententiæ* per Dominum Valerium. Pinzoccum contra Joannem Andream absentem latæ. Cum hoc animadvertisset Maffejus, secundam Sententiam Callide præteriit, quæ in vulgato Privilegiorum Libello ad paginam 195. typis data fuerat anno 1626. (e) Quoniam si hujus meminisset, vel erat neganda, quod non poterat, quin in Scopulum offende-

(a) *Sententia* 1594. 25. *Maii.*
(b) *Maffejus Epistolæ suæ §.* 12.
(c) *Sententia* 1594. 25. *Maii.*
(d) *Caballus Resol. Criminal. Casu* 176.
(e) *Liber Privileg.* 1626. *Venetus typis Evangelistæ Deuchino pag.* 195.

offenderet, cum de Sententia Valerii Pinzocco esset locuturus: qua licet damnatus exsilio Joannes Andreas, nihilo minus anno sequenti in Urbe degens, & huic Juditio præsens occurrebat: Vel erat concedenda, quod multo minus poterat, cum primam negaverit, quæ ab hac postrema executioni mandatur. Tu, Clarissime Vir, antidhac, hæc acta genuina esse, cognosti, sed Maffejanas ineptias forsitan non credidisti. At in hoc genere impudentiæ, multo etiam confidentius versatus est, de Joanne Andrea, Petri ex Lucretia Bevulca Mediolanensi filio, loquens. Hunc enim criminaliter inquisitum, & Lege Cornelia de falsis Romæ damnatum fuisse contendit. Petrum Caballum citat, qui *Resolutionum Criminalium* Librum scripsit, in quo ad casum 176. Sententiam quamdam, cujus paullo ante memini, in Urbe Roma contra Joannem Andream latam recenset, ipsamque iterum recitat (*a*) Maffejus: Et ne aliquod malevolentiæ argumentum deesset, sententiæ hæc verba subdit: *Splendidum sane intuentibus spectaculum esse, Serenissimum istum Remigem* [Joannem Andream intelligit] *ad avitum Imperium, ut Commendas inde, & Prioratus amplissimos in fidos suos, plena manu profunderet, totis humeris navigantem*. Non splendidum, sed luctuosum, & flebile honesto viro spectaculum esse debuisset, si quæ improbe, nequiter, & falso memorantur, Clarissimo illi Viro accidissent. Sed Sententiam ipsam repetere placet, cujus occasione, quæ animadversione digna sunt, notabimus. Titulus in Libro Petri Caballi est, *de pœna adserentis sese falso Militem, seu Equitem alicujus Religionis, Doctorem, Clericum &c.*, & in Capite nono hæc leguntur: *Audivi a magnis Criminalistis quod alii ob tale delictum fuerunt missi per loca publica Civitatis mitrati, insidentes asino, & insuper condemnati ad triremes, & cum alias quidam Joannes Andreas Angelus, falso ex Flavia Familia, Principem, & Magnum Magistrum adserta Religionis S. Georgii se verbo, & scriptis palam, & publice adsereret, & Equites sub dicto prætenso titulo S. Georgii de facto, uti adsertus M. Magister dictæ prætensæ Religionis crearet, & per diversas mundi partes, etiam ultra montes, potestatem aliis dictos adsertos Equites creandi concederet, instante Illustri, & Excellenti Domino Joanne Jacobo Nerotto, Procuratore Fiscali in Urbe; sic etiam requirentibus* MINISTRIS SACRÆ, ET ILLUSTRISS. RELIGIONIS, ET MILITIÆ DIVI STEPHANI, OB CRUCEM, QUAM DICTI, FALSO CREATI MILITES DEFEREBANT, OMNIMODAM SIMILITUDINEM HABENTEM CUM EA, QUA EJUS VERI, ET INSIGNES EQUITES UTUNTUR, *fuit in Urbe lata Sententia anno 1593. die octava Augusti per admodum Magnificum, & Excellentem Dominum Valerium Pinzoccum L. T. in Criminalibus Illustriss: & Reverendissimi Domini Vicarii Generalis Sanctiss. D. N. P. Clem. VIII. per quam dictus Joannes Andreas, tunc in Urbe degens, fuit condemnatus in pœna perpetui exsilii ab ipsa Urbe, & toto statu Ecclesiastico, confiscationis omnium bonorum, ubilibet existentium, privationis omnium, & quorumcumque adsertorum Privilegiorum,*

(a) *Maffejus Epistolæ §. 15.*

legiorum, si quæ obtinebat, & inabilitatis ad alia in posterum obtinendum, & triremium ad arbitrium, seu beneplacitum. Quæ Sententia mox de anno 1594. *die* 26. *Septembris confirmata fuit per aliam Sententiam, instante eodem Nerotto Proturatore, & aliis* VICE, ET NOMINE DICTÆ SACRATISSIMÆ RELIGIONIS S. STEPHANI *pro omnis suo jure, & interesse, latam per admodum Magnificum, & Excellentem Dominum Aurelium de Domo Spoletinum L. T. Criminalem Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Gubernatoris dictæ almæ Urbis*. Hæc Sententia ingentem maledictorum materiam malevolenti subministrat, crescit vis ingenii, eamque cum clamore, & plausu excipit. Ipsum quoque auscultemus: *Quid reponent innumeri, ac percelebres Sacræ Constantinianæ, Angelicæ, Imperialis, Augustæ, Aureatæ Militiæ propugnatores? Quid historici isti, qui ejusdem illius hominis effigiem imperiali paludamento, gemmisque, atque auro coruscantem nobis exhibent? Non me fugit anno* 1611. *Libellum quemdam ab Angelis vulgatum, in quo gratis pro more adseritur, Sententias illas post annos aliquot revocatas fuisse: Verba sunt ista, & meræ nugæ*. Errant igitur, nugantur, vigilantes somniant, insaniunt? Quid, si ostendam, non nugari, non somniare, non insanire, sed imponere, & mentiri Maffejum? Quomodo igitur hoc assequar, ut hæc tibi manifesto exponam? Non ex Libello anni 1611., in quo Angelos mentitos esse credas, nisi veritatem, quæ in Libello ipso, nullis conspersa fucis, exhibetur, aliunde demonstravero. Audisti, cum Maffeji Epistolam aliquando legisses, Joannem Sorantium a Maffejo citatum inter Scriptores illos, qui (*a*) *Constantinianæ Militiæ insigne despectum, & a prudentioribus odio abitum* noverunt, & Sorantii paginam 66. margini appositam observasti. Hic ex illis unus est, qui Maffejo unice favet. Tu igitur illius verba diligenter examina (*b*).

Cominciando dai Cavalieri di Constantino Imperatore, io dico, che eglino furono i primi, che si segnassero il petto di Croce vermiglia, le braccia della quale erano a modo di GIGLI, il corpo della Croce era di veluto rosso orlato di oro. Fu questa Croce instituita da quel Santo Imperatore ad onore di quella, che egli ricevette dal Cielo, & vogliono alcuni, che egli la formasse appunto, come quella, che l'Angiolo gli diede. Altri vogliono, che Elena Santa ad onore della Croce, che ella ritrovò, facesse con

Ab Equitibus Constantini Imperatoris exordium sumens, dico, principes fuisse, qui purpurea Cruce sibi pectus signarent, cujus fines in formam LILIORUM desinebant; Crux tota erat ex holoserico villoso rubro, auroque circumdata. Crux hæc ab illo Sancto Imperatore instituta fuit in honorem illius, quam a Cœlo accepit: & quidam autumant, eam adamussim confecisse, ut ab Angelo ei traditum fuit. Putant alii, Divinam Elenam, a se inventæ Crucis veneratione, rogatu suo a Filio impetrasse, ut Equestrem

(a) *Maffejus Epistolæ* §. 1.
(b) *Sorantius Idea del Cavalier in Milano* 1609. *Parte prima pagina* 66. *linea quinta*.

con preghi, che il figliolo un Ordine di Cavaleria instituisse; Come sisia, la Croce è stata sempre in grandissima stima appresso i Greci, ne si dava ad altri, che a gran Signori. Passò l'auttorità di dispensarla nei Principi di Macedonia, come quelli, che hanno professato di essere vera posterità di quell' ottimo Imperatore, e l'hanno sempre dispensata con gran venerazione insino al tempo, che la Grecia tutta, grave di mille peccati, divenne Schiava della Tirannide Ottomana. Ho veduto io questa Croce in Roma nel petto di un, che si fà chiamare Principe di Macedonia, IL QUALE FU FATTO PORRE PRIGIONE IN TORRE DI NONA DAL GRAN DUCA DI TOSCANA, *pretendendo, che non dovesse portar quella Croce, non che distribuirla ai meritevoli.*

strem Ordinem institueret. Utut sit, Crux a Græcis summo colebatur obsequio, solique Magnates Cruce decorabantur. Hæc Cruce-signandi facultas ad Macedoniæ Principes transiit, qui optimi illius Imperatoris genuinos Successores esse profitebantur, magnaque veneratione Cruce-signarunt, usquequo Græcia universa, innumerabilium peccatorum onere pressa, sub Turcarum tyrannidem cecidit. Vidi Romæ quemdam virum, qui Macedoniæ Principem appellari volebat, Crucem hanc in pectore gestantem, qui instante MAGNO ETRURIÆ DUCE CARCERIBUS TRADITUS FUIT IN TURRI NONA, *cum profiteretur, quod indebite Crucem illam gestaret, & merentibus distribueret,*

Recordare verba Sententiæ anni 1593. quam supra retulimus, in qua dicitur, *requirentibus Militibus Sacræ, & Illustrissimæ Religionis, & Militiæ Divi Stephani, ob Crucem, quam dicti, falso creati Milites deferebant, omnimodam similitudinem habentem cum ea, qua ejus veri, & insignes Equites utuntur.* Quæ de Militiæ illius institutione tradit, pro nihilo habe: in reliquis testem certissimum habemus, qui omnibus interfuit, & quæ refert, vidit, dum Romæ esset, nec Sententiam negare, nec testem rejicere possumus. Si quid præterea velit addere adversarii nostri testis, est audiendus. (a)

Ma egli provò, che era legitimo dispensatore di quella, e che perciò a torto stava Carcerato. Onde benissimo essaminata la causa della sua prigionia, fu tratto di prigione.

Sed ille probavit, se Crucem illam legitime distribuere, atque ideo inique Carceri detineri. Quapropter rite, & recte sua captivitatis causa exagitata, e custodia liber missus fuit.

Quid reponet Maffejus, quem teste suo vici? verba iterum, & nugas esse? Sed credo, testem suum negaturum: turpis enim est confessio. Quid nunc respondere paratus, si ab ipso sciscitabor, odii adeo acris, & infesti caussam, a

F quo

(a) *Sorant. Idea del Caval. pag. 66.*

quo in Angelos tam nefaria convicia excitata, quo impellente tot iniquas contumelias effusas, tot spurcissima mendacia in nobilissimos, clarosque viros, quæ tantum dolorem cineribus, atque ossibus mortuorum inurerent? Libellum anni 1611. viderat, Sorantium legerat; quin immo testem adducit, & adhuc condemnatoriam illam Sententiam, Joanne Andrea absente, nullo servato juris ordine pronunciatam, immo revocatam opponere ausus fuit. Non repetam, quæ P. Dandini (a) oculatus testis, & omni fide dignissimus, atque in Romana Curia versatissimus, de hac Sententia prodit. Unum mihi reliquum est testimonium, ex quo & annullatas Sententias annorum 1593. & 1594. perspicue conjicere possis. Romæ quæsitum fuit de jure Joannis Andreæ, & in quæstione vocatum, an potestatem haberet Equites creandi, qui Crucem rubram gestarent, illi simillimam, quam Equites S. Stephani deferebant, nempe LILIATAM, ut ait Sorantius. Accusabant Equites S. Stephani, seu ut idem Sorantius adserit, instabat Magnus Etruriæ Dux. Lata est Sententia in Joannem Andream anno 1593. & anno 1594. confirmata fuit. Hanc confirmatoriam Sententiam ad perpetuam memoriam recenset *Petrus Caballus, qui pro M. Etruriæ Duce universarum militarium legionum Auditor, Sacræ Religionis Equitum Divi Stephani Præsidens* inscribitur in fronte Libri sui, quem Ferdinando Medices M. Duci Etruriæ III. dicat. Hanc ipsam repetit Maffejus, damnatumque triremi Joannem Andream prædicat: & tamen Crucis figuram mutant D. Stephani Equites, atque adinstar victorum, Joanni Andreæ cedentes, liliatam dimittunt, & alterius figuræ, qualem nunc gestant, sumunt. Sorantii verba iterum non recito, sed Cosimi IV. imaginem visendam ad te mitto, a celebri Kiliano Augustæ Vindelicorum anno MDCIX. excussam, in qua Crux illa Liliata, quam Cosimus Magnus Magister gestabat, conspicitur. Modo ex te ipso prævides ex quanam officina prodierint istæ malæ merces, quarum solus Opifex existimari cupit. Nuper legi epistolam quamdam mense Majo datam anni 1700. celebri viro, Antonio Magliabecchio scriptam, qua Criticas quasdam Observationes circa Militiam Constantinianam ipsi mittebantur, e quibus suam inbibit cogitatam, doctam, facundam, venustam, & falsam Epistolam Maffejus. Harum observationum Scriptor paullo ante, vel circa Majolini Bisaccioni ætatem vixisse videtur; cum ipsius responsum insipidum, insulsumque legerim, Solum in ipsis deesse notavi, quibus suam ubique conspersit Maffejus Epistolam, turpes contumelias in Angelos, & genus eorum, impudentes sales, quibus Parmensis Serenissimi Ducis gloria inuritur, & irrisiones, quas passim in ejus Equites jaculat. Hæc sunt, quæ scitus hic Architectus alienis ædificiis fabricatus est, quæ non solum ferre quisquam, sed nec æquo animo audire poterit. Tot enim sunt in una Epistola maledictorum gradus, ut si singulis insistere velim, progredi non possim. Quid ego, cum in hanc partem me impinxerit Maffejus, omnes laqueos non detegam, quibus Angeli vel desinente decimo-sexto, vel incipiente decimo-septimo sæculo circumsepti undique fuere.

(a) *Censura P. Dandini in Epistolam Maffeji.*

Ad pag. 42.



Quartus ades DVX, COSME, tuo de stemmate, MAGNVS,
Pergis et Hetruscis dicere iura tuis.
Iustitiane esset, validisne potentior armis,
Ceu tuus et dubium fecit ut esset, auus:
Cuius habes nomen, tanto tu propatre dignus,
Sic facis populos et dubitare tuos.

fuere. Vetitum fuit in Hispaniis, & in Germania, ne a quocumque Equites crearentur, neve aliquis rubram Crucem gestaret. qui a Magno Etruriæ Duce hoc insigni non fuisset decoratus. Hoc idem Venetus Senatus (*a*) Equitibus Divi Stephani annuens, anno 1611. quinto Idus Februarii decrevit. Verum cum Patres illi facile concesserint, quod neminem læderet, vicissim aliorum jura sancte, & religiose servarunt. Obstupui, cum hanc familiam tot ærumnis, non secus ac navim mediis in fluctibus huc illuc actam, & sæpius ad idem saxum allisam, conspexi, quæ tamen & fluctus, & vada, & scopulos superaret. Omnes enim angustiæ, quibus hæc familia, & hujus Militiæ Principes premebantur, viam tandem ipsi patefecerunt illustrem, & latam: Sententiæ illæ revocatæ: Caballus ubique proscriptus. Testimonia de Sententia audisti, de qua cum dubitare non possis, infitiatoris insignem impudentiam cognosces, qui nugas esse prædicat. Caballi liber Venetiis typis datus: Res ad Advocatorem delata, qui statim acriter prohibuit, ne iterum imprimeretur, jussitque Sententiam expungi, atque Revocatoriam anni 1597. ad finem apponi (*b*). Sed si omnia diligenti examine disquirerem, & summo jure cum Maffejo agerem, quot mendacia, quot fallacias aperirem, quas longum esset, & minus necessarium commemorare. Quasdam solummodo detegere arbitratus sum, ut extra Italiam in aliis Regnis, quo forte Maffeji Epistola pervenisset, sentiant omnes, unius Maffeji hoc facinus esse, non totius Italæ gentis, quæ ejus acres, & non æquas criminationes non adprobavit. Hæc cum ad veritatem dixerim, & re multo melius, quam verbis maledicentiam refellerim, ad reliquam Angelorum progeniem redeo. Tenes igitur, quinque ex Petro[44] natos liberos, Alexium[45], Paullum[46], Joannem[47] Demetrium, Andream[48], & Hieronymum[49]. Horum duo filios susceperunt, Demetrius[47], ex quo natus est Petrus[50], Jo: Andreæ[55] Pater, in quo linea illa desiit, & Hieronymus[49], militari virtute conspicuus. Huic ex Ursula Conjuge (*c*) liberi quattuor fuere, Michael[51], Leo[52], Petrus[53], qui a Du-Cangio omittitur, & quartus[54] Andreas. Michaelis[51] meminit Patruelis Petrus[50] in Testamento (*d*), eumque substituit Joanni[55] Andreæ filio. Uxorem Michael[51] duxit Luciam (*e*) ex Nobili apud Venetos Michaelensi familia, cum qua suscepit Hieronymum[56] (*f*), Angelum[57] Mariam (*g*), Marcum[58] (*h*), Ma-

F 2

(a) *Senatus Consultum anni* 1611. 9. *Februarii*.
(b) *Mandatum Advocatoris Petri Raymundo* 1610. 29. *Novembris*.
(c) *Sententia Officii, quod vocant Proprii, Familiæ Ercifcundæ* 1617. 11. *Sept.*
(d) *Testam. Petri* 1592. 29. *Julii*.
(e) *Contractus Nuptialis* 1597. 11. *Augusti*.
(f) *Fides Baptismatis* 1598. 8. *Januarii*.
(g) *Fides Baptismatis* 1600. 14. *Julii*.
(h) *Fides Baptism. Marci* 1608. 12. *Septembris*.

Mariam[59] Altadonnam (*a*), aliasque feminas duas : Hieronymum, & Marcum præteriit Du-Cangius . Horum fratrum plurimis in Actis , & Chirographis (*b*) mentio habetur. Extremum clausere diem, Angelus Maria anno 1678. & Marcus 1679. Horum Patrui Leo, & Petrus absque prole decesserunt : Sed Andreas[54] quartus frater quinque uxores habuit , ex quarum priore duos , Petrum, & Joannem, ex ultima e Nobili Patavina Familia orta, duos superstites filios reliquit, Hieronymum[60] (*c*) & Joannem[61] Andream (*d*). Hic ultimus hujus clarissimæ, & vetustissimæ familiæ superstes fuit, & Placentiæ Urbis pro Serenissimo Parmensi Duce Moderator ibique anno 1703. vita functus est. Constat, jura sua in illum Serenissimum Ducem transtulisse , qui Constantinianam Militiam, quæ per illius mortem perculsa, & prostrata jacuisset, excitaret, atque erigeret. Quid Maffejo nunc restat irridendum ? *Quod Isaatium Angelum ex M. Constantini Prosapia ortum contendunt* (*e*) . Ego hæc nec concedere, nec negare ausim. Nam hoc Græcis omnibus commune vitium, fabulis sæpenumero veritatem coinquinare. Quæ Angeli suo generi tribuunt, vel e Ducarum gente petita, cujus aliquando a cognatione cognomen adoptarunt; ut apud inferioris ævi Græcos mos fuit, a feminis gentilitia, & plura simul cognomina usurpare; vel eorum exemplo fabulati sunt, qui indices genealogicos istarum familiarum confinxere, aliqua lucri spe sibi proposita, nimium proclives ad benefactoris sui genus extollendum. Neque solum reprehendendi sunt, quia genus Angelorum a Constantino duxerunt, sed etiam quia ad libitum longam, & antiquam majorum seriem fingentes, omnia gratuito asserentes, nullis unquam Scriptorum, vel rerum monumentis probarunt . Hæc audiens indignatur Maffejus : Nos vero æquiore animo hæc eadem ferentes, risui aliquantulum indulgebimus. Rideat & ipse ; Sed si ad iracundiam pronus , violentusque fervet animus, Libelli sui supplicis fabellas, ac lepidulas gloriolas legat, & meritissime indignabitur, vehementemque iram ex pectore promet. Nos iterum indignabundum, & furentem hunc hominem deprecabimur, ut bilis æstu sedato, Bryennium, de Gente Ducarum loquentem, auscultare velit. *Si quis*, inquit , *replicare annales*, *&* *sursum niti versus origines rerum curet* , *sic reperiet* (*f*): Καθότι καὶ ὁ πρῶτος Δοῦκας ἐκεῖνος εἷς ὢν ταῖς κατὰ τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἐπαναστάντων καὶ πρὸς τὴν νεωτέραν μετοικησάν τῶν καθ' αἷμα τῷ μεγάλῳ Κωνσταντίνῳ καὶ γνησιώτατα προσωκείωτο ἐκείνου τε γὰρ ἐξάδελφος ἦν , καὶ τόν τοῦ Δουκὸς Κωνσταντινουπόλεως ἀξίαν παρ' αὐγούστου ἐγκεχείριστο. Κἀντεῦθεν καὶ πάντες ἐξ' αὐτοῦ

(a) *Fides Baptis. 1603. 24. Julii .*
(b) *Libellus supplex 1662. 27. Februarii Magistratui super Feudis exhibit .*
(c) *Fides Baptism. 1629. 2. Aprilis.*
(d) *Fides Baptism. 1634. 9. Februarii.*
(e) *Maffeius Epistolæ §. 6.*
(f) *Niceph. Bryenn. in Præfat. Commentar. §. 9. pag. 9.*

αὐτοῦ κατωνομάσθησαν Δουκῶνυμοι : Ducarum gentem e Constantini Magni Domo propagatam. Auctor siquidem hujus nominis, qui socium se Constantino Magno adjunxit e Roma vetere in novam migranti, proxima consanguinitate admotus fuisse dicitur, utpote patruelis ejus, cujus præter ceteram virtutem commmendatione necessitudinis, dignitas Ducis Constantinopoleos illi collata est: ex qua in totam familiam Ducarum appellatio hunc usque in diem propagata est. Posset ne nitidioribus pigmentis fabella ornari? Si Maffejum arcesserem, ut ipsam cognosceret: Fastidiret: exhorresceret: Irasceretur: Quos oculos: quos vultus: quæ ora gereret? Quæ forte ferebat, cum titulorum gradationes in Angelorum chartis metiebatur (*a*). Quod tamen, Clarissime Vir, me non movet; cum adeo demens non sim, tamque tui sensus ignarus, & expers, ut nesciam, quid de hac futili conjectura sentias. De qua, si cetera, quæ objiciebantur, jam nollem ita diluere, ut dilui, tamen adhuc clamare liceret: nugæ nugerrimæ hæ sunt calumniatoris, & intemperantis hominis, cujus insaniæ, ac larvæ nullis rationibus ab infirma mente depelli possunt. Non potest dici satis, nec cogitari quidem, quantum malevolentiæ, quantum maledicentiæ in illo fuerit, ut hos Angelos calumniaretur, & genus eorum undequaque deprimeret. Liceat mihi hujusmodi verbis uti ad maledicorum, & audacium contumelias, & mendacia propulsandum. Quod si omnia adnotare velim, nunquam finem facerem, & tibi non parum molestiæ inferrem; & plura forsitan, quam opus fuit, sum complexus. Quæ tamen plus studii, atque otii optassent, quam mihi forensi exercitatione, & domesticis curis plurimum impedito datum sit. Tu quæso excusationem meam accipe, & si aliter de hac re sentis, velim ad me scribas; reprehendi enim, quam errare, multo malo. Quod si feceris, me maximo beneficio devinctum habebis; idque, ut facias, te vehementer etiam, atque etiam rogo. Vale.

Dabam in Batavis 4. Kalend. Januarii 1721.

M. L.

(a) *Maffejus Epistola* §. 7.



M. L.

Nob., & Clarifs. V. C. I. R.

S. P. D.



ITTERAS tuas, Clarifs: Vir, cum accepissem, quibus studium nostrum, laboremque tibi probari, mihi significasti: Quo Angelorum nomen, a Maffejo nimis aspere vexatum, & irrisum, a calumniis, & dicteriis vindicare enixus sum; meque es adhortatus, ne Constantinianam Militiam, cujus Magistros se inscripserant Angeli, omnino negligerem, sed ut promissis starem; Adeo lætatus sum, ut de ipsa quid sentiam, soluto animo ad te familiariter scribere, mentem statim appulerim. Tua enim auctoritas tanti apud me penderis est, ut magnum opus adgredi non renuam; quale contra Maffeji opinionem dicere: Siquidem contra magni fluminis adversas undas, debili remigio, lembus mihi est subigendus. Si tamen tollas e medio Maffeji nomen, cujus excellens auctoritas, nimia gratia plurimum accusationi prodesse possunt, ejus criminationes non pertimescam. Audivi, quosdam Maffeji laudatores dicere, descensurum ad scribendum Libellum illum non fuisse, nisi prius de caussa judicasset: Immo in tantam mentis ægritudinem cecidisse, ut negarent, magnum illum virum errare in hac re, ac decipi potuisse. Miseram nimium conditionem, & iniquam legem veritati instituunt, qui existimant, ad fidem, & assensum extorquendum auctoritatem valere oportere. Ab istorum Sententia meus prorsus abhorret animus, quam nec sinceram, nec tutam; immo insidam, & falsam judico. Ingenui, & simplicis animi est, veritatem sequi, & fateri, quæ nec contradictionum libidine detorquenda, nec complacendi obsequio est operienda. Cæcutientes sunt, & subdola luce ducti, qui ob quædam extrinseca, & adumbrata criteria proclives se præbent ad ea amplectenda, quæ intellectu facilia sunt, & in quibus quædam tantum externa, & conspicua signa vident,

quæ

quæ nullum cum veritate commercium habent. Quid de illo hominum genere dicam, qui si forte quædam falsa detegant, reliqua omnia, nullo inter vera, & falsa discrimine posito, respuunt, fastidiunt, negant? Homines tales, si occurrant, malos Criticos nuncupabis, cum nesciant

- - - - - - - *justo secernere iniquum.*

Quod si hæc essent Critices leges, quantis in angustiis non versaremur? Quid severius, quid inhumanius, quid intolerabilius excogitare potuisset audacia? Quid tutum, & incolume ab hac tanta barbarie servare possemus? Non Sacrorum voluminum fidem, non Patrum Sanctorum auctoritatem, non historiarum venerandam memoriam, non Scriptorum excellentem doctrinam: nihil denique illæsum, quod hæc furibunda procella humi non prosterneret. Quo enim non venere Harduinus, & Spinosa, hanc sibimetipsis legem statuentes? Hic Scripturæ Sacrosanctæ fidem demere contendit: ille antiquorum omnium tum Græcorum, tum Latinorum Scriptorum libros suppostitios esse dixit. Duobus istis tertius non venit accensendus Maffejus, utpote qui in re minoris momenti versatur. Ipsum tamen eadem argumentorum momento, eademque methodo usum vehementer miror, & doleo. Cum enim nugas aliquas apud Constantinianæ Militiæ Scriptores forte deprehendisset, & inter monumenta, quæ adducebant, quædam falsa animadvertisset, rem totam nugatoriam esse, statim decrevit; nosque omnes, Libello *de Fabula Equestris Ordinis Constantiniani inscripto*, quem stilo declamationibus magis, quam seriæ Critices orationi accomodato confecit, sententiam suam docere exoptavit. Illius doctrinam, seu aptius dicam, criminationes ejuscemodi sunt. *Primam* (*a*) *Equestrium Ordinum velut ideam, sive imaginem quamdam tunc exhibitam, cum undecimo desinente saculo Pont. Max. Urbanus II. ad Hierosolymam expugnandam, sacrumque Sospitatoris Nostri Sepulcrum ab infidelium potestate eripiendum Christianos populos ita inflammavit, ut ex omni pane Europa, infinita hominum multitudo cogeretur. Huic expeditioni CRUCIATÆ nomen impositum ex eo, quod Pontificis jussu ad belli Sanctitatem ostendendam Crucis signum in vestibus milites omnes praferrent. Cum ante expeditionem illam Religionis ad rem bellicam instituta nec species quidem ulla usquam terrarum in hominum mentes irrepserit.* Constantinianam Militiam, Fabulam, Chimæram, & Commentum, *omni antiqua auctoritate, sine qua consistere nequit, destitutam prodiisse* dicit (*b*). Plures recentes Auctores recenset, qui *Drivastensem hanc Militiam* [hoc nomine Constantinianam appellat] non novere; nec prætermittit, qui eam non adprobavit, Du-Cangium: Angelis *Constantiniani Ordinis machinam* (*c*) tribuit, quorum familiam turbare, & evertere studuit, negans *ab Angelis imperantibus Drivastenses Angelos genus duxisse* (*d*): Fundamentum hujus Militiæ *nullum aliud esse, quam Drivastensium Angelorum Imperatoriam Nobilitatem* (*e*) qua dem-

ta,

(a) *Maffejus Epistola ad Cup. §. 3.*
(b) *Maffejus §. 4.*
(c) *Idem §. 5.* (d) *§. 6.*
(e) *§. 8. Circa finem.*

ta, corruere: Ipsis aliquando indultum, ut ex documento anni 1575. *Milites, seu Equites aureatos facere* (*a*): Hujuscemodi Privilegia ea ætate liberali manu concedi solita: *Furtivum a militari dignitate ad Equestrem Religionem trajectum*: Deceptum Patrem Papebrochium, qui hunc Ordinem *apud Imperatores Græcos floruisse aliquando putat* (*b*) & Joanni Andreæ Angelo *ab Angelis olim imperantibus originem largitur*; Falsa omnia documenta esse dicit: Scriptores omnes ineptire: & tandem eo malignitatis devenit, ut Bernardum Justinianum, Militarium Ordinum Scriptorem, neget (*c*) ex Justinianea, illustri inter Venetos Proceres gente, derivasse: Et ut Eusebii testimonium succutiat, subdole cavillatur in nominibus; cum quidam imperiti de Militia a Constantino ad Labari custodiam instituta ita inconsiderate loquuti sint, ut si de Religione Melitensi sermo fuisset: Perpetuo Angelos istos, nebulones, mangones, impostores, veteratores vasto oris hiatu vocare: Sordidissimis injuriis continuo fœdare. Hæc sunt hujus Conviciatoris, infandas contumelias screantis, pulcherrima inventa, quæ nec criticum acumen præferunt, nec veritatis amore nituntur, nec modestiæ scepibus custodiuntur. Cum igitur non facile concedam nec Maffejo, nec cuicumque ea, quæ enumeravi, veritati convenire, elaborandum mihi erit, contraria probentur. Sed quo commodius quid verisimillimum, immo quid verum sit, invenire possimus, sic rem hanc exponam, non quasi disputetur, sed quasi narretur: Et a pio, ac religioso Constantini instituto nascatur exordium. *Respublica* (*d*) *ab Imperatoribus quattuor tenebatur, Constantino, Maxentio, filiis Augustorum, Licinio, & Maximiano, novis hominibus. Quinto tamen Constantinus Imperii sui anno bellum adversus Maxentium civile commovit. Copias ejus multis prœliis fudit. Ipsum postremo Romæ adversus Nobiles omnibus exitiis sævientem apud Pontem Milvium vicit.* Percelebris hæc victoria fuit, Deumque auctorem agnoscunt Christiani Scriptores. Scribunt enim, Crucem cælitus Constantino, ejusque exercitui ostensam, atque ab Angelo dictum ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ, *in hoc vince*. Quod etiam Ethnici videntur novisse, cum Senatus, Populusque Romanus Constantini opera in libertatem adsertus, arcum triumphalem construxerit, Constantino dicatum, inscriptione hac adiecta, quam Antonius Augustini, aliique plurimi referunt. (*e*)

IMP. CAE. FL. CONSTANTINO . MAXIMO
P. F. AVGVSTO . S. P. Q. R.
QVOD . INSTINCTV . DIVINITATIS . MENTIS
MAGNITVDINE . CVM . EXERCITV . SVO
TAM . DE . TYRANNO . QVAM . DE . OMNI . EIVS
FACTIONE . VNO . TEMPORE . IVSTIS
REMPVBLICAM . VLTVS . EST . ARMIS
ARCVM . TRIVMPHIS . INSIGNEM . DICAVIT

In

(a) *Maffejus* §. 9.
(b) §. 10. (c) §. 16.
(d) *Eutropius lib.* 10.
(e) *Augustini lib.* 4.

In qua Crucis ostentum verbis satis aptis expressum videtur, cum *instinctu divinitatis* partam victoriam testetur. Quapropter jussit Constantinus, bellicum signum, quod Labarum vocabatur, nobilissimum imperii decus, & inter alia pretiosius, eo quia Imperatorem præcedere, & adorari a militibus moris esset, in vexillum Sanctæ Crucis mutari; Tum a dignioribus in prœlio ambiri; & stipari præcepit, certosque signiferos, qui in eo laborarent, constituit, eisque hoc muneris imposuit, ut alternatim humeris gestarent, atque omnes acies circumlustrarent. Hujus instituti Eusebius, Constantino familiaris, nobis testimonium facit in hisce verbis. (*a*) Διὸ δή ἀμφὶ τῶν αὐτὸν Ὑπασπιστῶν τοῖς καὶ σώματος ἰσχῦι καὶ ψυχῆς ἀρετῆ, καὶ θεοσεβείας τρόποις ἐγκρίτοις μόνη τῆ του σημείου Διακονίᾳ προσκαρτερᾶν ἐκέλευσεν (*b*). Ἦσαν δ᾽ ἄνδρες τον ἀριθμὸν οὐχ ἧττους πεντήκοντα, οἷς οὐδὲν ἕτερον ἦν μόνον, ἢ κυκλοῦν, καὶ περιέπειν δορυφορίᾳ τό σημεῖον ἀμοιβαίως ἑκάστου αὐτὸ ἔπὶ τῶν ὤμων φέροντος. *Itaque lectis ex Protectorum suorum numero quotquot & corporis robore, & animi virtute, & pietatis institutis excellere videbantur, unum hoc ministerium imposuit, ut vexilli illius assiduam curam gererent. Erant autem viri numero non pauciores quinquaginta, quibus nihil aliud muneris erat impositum, quam ut stiparent, præsidioque suo vexillum munirent, singulique per vices illud ipsum humeris gestarent.* Erant Protectores isti armata illa Militia, quæ defendendi Imperatoris corporis, ejusque lateris protegendi sollicitudinem sustinebat. Hi Glossis veteribus προασπισταὶ, quasi clypeo objecto propugnatores, vocabantur, quos meliori vocabulo σωματοφύλακες, *corporis servatores*, *stipatores* appelles, & a Theophane pag. 157. Προτικτόρων nuncupantur. Item Procopius in Anecdotis cap. 24. Εἰσὶ δὲ καὶ ἕτεροι τῶν ἐν παλατίῳ πολλοὶ ἀξιώτεροι, ἐπεὶ καὶ πλείω τὸ δημόσιον αὐτοῖς χορηγεῖν εἴωθεν, ἅτε καὶ μείζω κατατιθεῖσι τοῦ τῆς στρατείας ὀνόματος τά τιμήματα οἱ δὴ Δομέστικοί τε, καὶ Προτίκτορες ἐπικαλοῦνται. *Sunt & alii in Palatio Milites longe præstantiores, quorum majus ipsis stipendium solvi consuevit, ac digniore Militiæ nomine honestantur. Hi Domestici, & Protectores vocantur.* In utroque Codice Protectorum mentio habetur sub titulo *De Domest. & Protect.*: Privilegiis Domesticis exequantur, & ea, quæ istis concessa sunt, ad illos trahuntur. Protectores enim Domestici sunt, non autem omnes Domestici Protectores dicuntur. Sic e Collegiis Domesticorum Protectores, e Protectorum satellitio Labarorum custodes sumtos intelliges. Lex est in Codice Theodosiano (*c*) in his verbis: *Devotissimos Protectores, qui armatam Militiam subeuntes,*

G *non*

(a). *Eusebius in vita Constant. lib. 2. cap. 8.* Ori πεντήκοντα τ σαυρον φέ ρειν ἐξελεχθησαν.

(b) Ἦσαν δ' ἄνδρες πεντήκοντα. *Valesius*: Hos Satellites, quibus Constantinus curam Labari in prœliis commisit, Grethserus in lib. 2. de Cruce cap. 40. eosdem esse, ait, qui Præpositi Laborum dicuntur in Codice Theodosiano, idest τῶν λαβώρων. Nam λάβωρον Græci dicebant, quod laborantibus agminibus auxilio essent, teste Sozomeno.

(c) *L. Devotiss. 9. De Domest., & Protect.*

non solum defendendi corporis sui, verum etiam protegendi lateris Nostri sollicitudinem patiuntur; unde etiam Protectorum nomen sortiti sunt, inglorios esse non patimur; sed ut devotissimis nuper Protectoribus Domesticis, ita his quoque honorem congruum condonamus, ut præter Primicerium, Decemprimi eorum Clarissimatus dignitate fruantur &c. Sunt, qui legunt (a) *Aureatam Militiam*, nec forsitan eorum lectio erit omnino repudianda, cum firmis stet bene fulta rationibus. *Hi*, ait Pancirollus (b), *armis ceteris splendidioribus utebantur. Siquidem Philo de Stipatoribus Agrippæ Regis loquens*, „ omnes in se convertit „ spectantes Satellitium argenteis clypeis, & inauratis armis nitidum. *Idem refert Corippus, qui etiam explicat, quo modo Palatium custodiretur hoc carmine*.

„ Ingens excubitus divina Palatia servans
„ Porticibus longis, porta condensus ab ipsa
„ Murorum in morem lævam, dextramque tegebat
„ Scuta sub erectis conjungens aurea pilis,
„ Ense latus stricti, perstricti crura cothurnis
„ Adstabant celsi pariter, pariterque nitebant
„ Extantes latis humeris, durisque lacertis
„ Et dextra, lævaque acies adstare videres,
„ Multaque ancipites splendescere luce bipennes.
„ Terribiles, ætate pares &c. *& infra*
„ - - - - - - - Miratur barbara pubes
„ Ingressus primos, immensaque atria lustrans,
„ Ingentes adstare viros, scuta aurea cernunt,
„ Pilaque suspiciunt alto splendentia ferro
„ Aurea, & auratos conos, cristasque rubentes;
„ Horrescunt lanceas, sævasque adstare secures,
„ Ceteraque egregiæ spectant miracula pompæ,
„ Et credunt aliud Romana Palatia cælum.

Idem explicat, quo modo procedentem Principem stiparent his versibus:

„ Incedunt densæ mixto lictore cohortes,
„ Hinc armata manus dextram, lævamque tuetur
„ Cæsarei lateris, clypeis pia terga tegebat
„ Ingens excubitus, Protectorumque phalanges
„ Fulgebant rutilo pilis splendentibus auro.

Quid ni aureata Militia legi poterit? Nec reprehendendus, si quis adsereret, *aureata* titulum, quo hæc Militia ab Imperatoribus semel fuerit ornata, ipsi perpetuo hæsisse? Nec somnia sine vade, & teste liberaliter venditasse Angeli dicendi sunt, cum Militiam hanc, de qua nobis sermo est, Aureatam dixerunt. Nec temere ab ipsis hoc factum dicerem: quia nominis hujus caussam nescirent, quam etiam Critico nostro latuit; nam ipsis non defuit traditio. Utcum-

(a) *Sertorius Ursatus De Notis Romanorum, in Thesauro Antiquit. Roman. a Jo: Georgio Grevio Congesto. Tomo XI. pag.* 601.

(b) *Pancirollus in Notitiam Imperii Orientalis cap.* 89.

Utcumque sit, huic lectioni nexu non adeo tenaci hæreo, ut alteram respuam, non enim in unam potius, quam in alteram propensus sum. Quilibet, quam lubet, sequatur, non contendo. Sed hæc forsan loco non suo dicta sunt, ad Protectores revertamur, ut singula ordine procedant. Subdit Pancirollus loco citato; *Inter Domesticos decem primi eminebant dignitate, & stipendio ceteris præstantes, Clarissimique vocabantur*: Et paullo inferius: *Præter decem primos, sequentes quinquaginta robore, ac pietate præstantes, vexillum Servatoris tuebantur; quod singuli ordine humeris portabant, & Clarissimi dignitate decem primis æquabantur. Hi sunt, qui Præpositi Laborum vocantur*. Labari enim usus cum maxime in exercitu esset, attamen in Comitatu Principis sollemnis erat: ideoque inter alia militaria signa tum quoque sanctius, & pretiosius habebatur, etiam cum nondum a Constantino fuisset Cruce insignitum: quod semper præcedere Imperatorem consueverat, & ideo a militibus adorabatur. Quidni dicemus, religiosam Militiam a Constantino institutam? cujus Milites [ut Du-Cangius (a) notat] eos fuisse plerique autumant, quos *Præpositos Laborum* vocant Codices, tum Theodosianus (*b*), tum Justinianeus (*c*), & ambo Gothofredi, & Senior (*d*), & Junior (*e*) ad Codicis utriusque Leges observant, & ex Pancirollo audivimus. Esset enim magnus error, & animis illorum, qui contra sentirent, nec tam longe retro aspicere possent, nimium offusa caligo. Verum ne nominum contentio sit, & ne inutiliter hæreamus in verbis, Militiam Religiosam antiquissimam videmus, nomen vero confitemur esse recens: & quinquaginta illi Protectores, & Labarorum custodes, modo Præpositorum apud antiquos, modo Caballariorum nomina apud recentiores Græcos assequuti sunt. Operæ pretium erit Codicum Leges subdere, ut Præpositorum istorum officium, & dignitatem videamus. Prima fuit Theodosii Junioris Constitutio, quæ ita dicit: *Qui ex devotissimis Domesticorum Scholis Præpositi Laborum nostro judicio, & stipendiorum sudoribus promoventur, ad similitudinem decem primorum Domesticorum, Clarissimi sint inter Allectos, itaut ex Consularibus habeantur. Nam Senatorio nomine, & immunitate digni sunt*, QUOS NOSTRI LATERIS COMITATUS ILLUSTRAT. *Datum 3. Idus Novembr. Constantinopoli, Theodosio* A. VII. *& Palladio* COSS. Late, & præclare ad hanc legem Jacobus Gothofredus scribit, ex quo, quæ magis proposito nostro conveniunt, excerpemus. Plura enim tum de *Domesticis*, tum de *Præpositis* prius differens, ait, *ex Domesticis sumtos Præpositos Laborum, non tamen ex decem primis Domesticorum: Nam immo decem primorum privilegium, & immunitas hac lege ad Præpositos Laborum porrigitur*: Ex his ad similitudinem decem primorum *Senatoriam dignitatem* tributam; & quidem

G 2

(a) *Carolus Du-Fresne ad Scriptor. mediæ, & infimæ latinitatis in verbo* Labarum.
(b) *Codex Theod. Leg. unic. lib. 6. tit.* 25.
(c) *Codex Justin. Leg. unic. lib.* 12. *tit.* 18.
(d) *Dionysius Gotof. ad C. Justin.*
(e) *Jacobus Gotof. ad Cod. Theod.*

dem *inter Allectos* fuisse habitos : nempe a Senatoriis muneribus immunes & aliaque singulari prærogativa donatos, ut *ex Consularibus haberentur*. Quorum dignitatis, & immunitatis rationem addit Theodosius : *Nam*, inquit, *Senatorio nomine, & dignitate digni sunt, quos Nostri lateris Comitatus illustrat*. Ex hoc cognoscis, istorum Præpositorum munus fuisse, lateri Principis adhærere, ipsumque in publicum procedentem comitari. Quid autem in comitatu Principis agerent, adnotat Gothofredus in verbo LABORUM, quod antiqua scriptura videtur, una syllaba elisa, pro LABORORUM, quomodo in Pandectis Pisanis. Quæ vero de Labaris erudite, & sincere animadvertit idem Gothofredus, videat, cui plus otii sit. Huc tantummodo pertinet adnotare, quod ex Georgio Cedreno sumsit, Labara, *in longis suspensa contis*, Principis Comites *gestantes* circa Imperatoris latus incessisse, eumque sic protexisse. Nec prætermittam, quæ Codinus scribit, de Labaro certe loquens, ut ejus Scholiastes observat. (a) Ἔμπροσθεν δὲ τῶν τοιούτων φλαμούλων προΐσταται ὁ Σκουτέριος βαστάζων τὸ διβέλιον, ὃ δὴ ἔνι μόνον ἕν, καὶ τὸ σκουτάριον τὸ βασιλικόν. *Ante quæ flamula stat Protector Scutifer ferens Divelium, quod unicum solummodo, & singulare est, cum Imperatoris Scuto.* Nemo certe suspensus in Codini verbis hærebit, an de vexillo Imperatorio, quod a reliquis separatim, & secretum tenebatur, sermo sit. Et merito a docto Scholiaste non probatur, quod Διβέλιον interpretetur *Duplex velum*, & Meursium præcipue reprehendit, qui *Vexillum Imperatoris bifidum* exponens, Junii respuit interpretationem, qui *divum velum* vocat. *At nec fallitur* [addit Scholiastes] *nec inscienter Junius loquitur, cui eo tutius, quo eruditius patrosinatur Dempsterus in ultima Romanarum antiquitatum Calce. Ex quo*, inquit, *nomina Ducum vexillis præscripta, puto effectum, ut adorarentur signa. Ideo salutari consilio Constantinus Crucem inter signa collocavit, ut adorari posset. Hieronymus ad Letam de Institut. Filiæ. Vexilla militum Crucis insignia sunt. Claudianus lib.2. in Rufinum*

Augustus veneranda prior vexilla salutat,

& libro de bello Getico

Turba salutatis effunditur obvia signis.

Vexillum istud Labarum audit. Curopalates Διβέλιον *vocat, Divum velum. Prudentius lib. in Symmachum*

Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat Labarum &c.

ea caussa etiam cur per signa jurarent milites &c. Hac nos ex Dempstero in divi, sacrique veli patrocinium : ne proscriptam Junii doctrinam temere videremur defendere. Inter Iconas Consilio Florentino Romanæ editionis, & Regiæ admixtas, ad Imperatoris in triremi sedentis latus vexillum est longius, & non bifidum, cui Crux appicta est : An non potius ob Crucem, & Religionem, Divum velum, quam geminum velum? Hactenus eruditus Scholiastes : Nec mihi vi-

(a) *Codinus de Offic. Constantinop. cap. 6. n. 26. pag. 79.*

hi videtur secus. Accedit etiam, ut adnotemus, quod in voce Græcobarbara Σκουτέριος ex Italica *Scudiero* considerat laudatus Scholiastes Jacobus Goarius, proposito nostro apte conveniens: Describit enim Imperatoris Scutum in hisce verbis. *Ornabat Imperatoris Orientis scutum coccinus color, cui Crux aurea eminebat: Angulos, sive spatia inter crucis ramos expansa littera β auro pariter exarata decorabat; ita tamen ut bis ad sinistrum latus posita gibbos verteret in exteriorem, & sinistram partem, ac penitus inversa videretur; & quattuor dictiones, quarum singularum est initialis, indicaret:* βασιλεὺς βασιλέων βασιλεύων βασιλεύσει. *Rex Regum Regnans Regnabit*. Sed ne nobis memoria excidisse videatur Sanctio Justinianea, ipsam quoque placet recitare, quæ non multum differt a Theodosiana, nisi quod Labarorum Præpositi e Domesticorum Collegiis non sumerentur; sed judicio Principis, undequaque ipsi libuisset, eligerentur. Quod tamen intelliges, non ex iis, qui in Scholis stipendiorum sudoribus mereri videbantur, sed tamen e Domesticis. Sic Tribonianus. *Qui Præpositi Laborum* [in Scholio *Labarorum*] *nostro judicio promoventur, Clarissimi sint inter Allectos: ita ut ex Consularibus habeantur. Nam immunitate digni sunt*, QUOS NOSTRI LATERIS COMITATUS ILLUSTRAT. Quid tergiversabimur? Non fatebimur modo quinquaginta illos Protectores, quibus Labari, & Crucis custodia tradita, corporis Principis protectio injuncta, Militiam composuisse religioso officio devotam, quam religiosam vocare, non erit absurdum? Non erit Maffejo novum, si hosce Protectores, recentiori appellatione Equites vocabimus; seu Græcobarbara dictione, Caballarios. Pachymeris verba mihi videntur rei nostræ accommodatissima. Hæc igitur sunt. (a) Λέγεται γὰρ αὐτοῦ περὶ τὸν Πρίγκιπα μεγιστᾶνας, οὓς ἐκεῖνοι Καβαλαρίους λέγουσι, τούτων τινὰς ἐποφθαλμίζειν κατ' ἔρωτας τῇ τοῦ Δούκα Ἰωάννου συζύγῳ. *Ajunt enim quosdam e* COMITATU PRINCIPIS *Proceres, quos Caballarios illi vocant, cupiditatis adjecisse oculos in Joannis Ducis conjugem*. Usus est Pachymeres verbo minus usitato, relicto obvio illo ἱππεύς, ut ejusce modi Proceres a reliquo Nobilium Virorum genere quodammodo secerneret, eosque exæquaret illustri Satellitio, quod Imperatorem Orientis comitabatur, ejusque latera stipabat: quasi peculiarem quamdam militiam denotare voluisset, cum sit in verbo nobilitatis quædam emphasis, equiti gregario minime conveniens. Ex Italico enim, *Cavalliere*, Græcobarbarum Καβαλλάριος creavit; quod non semel ab eodem, & ab aliis Græcis Scriptoribus usurpatum legimus. Ita de Καβαλλαρίῳ Ἀλεξίῳ *Caballario Alexio* apud eumdem Pachymerem lib. 4. cap. 31. Hoc etiam confirmatur lib. 6. cap. 11. in Andronico: καὶ γὰρ καί τινες ἐξ ἐκείνου Καβαλλαρικαῖς τιμαῖς ἐτετίμηντο παρὰ βασιλέως: *Quorum aliqui Equestrem dignitatem e manu Imperatoris acceperunt*. Quod opinor, notatum a Pachymere, quia Italorum more, certis formulis, ac publica cærimonia ab Andronico Imperatore Equestres honores Comitibus

(a) *Pachym. in vita Michaelis lib. 1. cap. 31.*

mitibus Mpyrigerii Tentzæ collati fuerint; Quod in Historiis ævi citerioris crebro factitatum a C. Pnis Augustis legimus. Circa hoc nomen multa hariolati sunt Byzantinæ Historiæ Scholiastes, quæ suo loco videbimus. Magnum mihi argumentum est ita interpretandi, tum quæ inferius dicam, tum quod Codinus (a) inter officia Constantinopolitanæ aulæ Καβαλλάριος collocet, ejusque interpres vertat *Eques*, cui male Scholiastes addit *Cataphractus*: cum desit vox Κατάφρακτος: licet recte sentiat, Caballarii officium exponens, quem *Satellitio Imperatoris deputatum* adserit. Sed textus, quos attulit, tum Annæ in Alexiade, tum Leonis in Tacticis, non probant; in utroque enim addita vox Κατάφρακτον. Amborum verba audiamus. (b) Ἀπεπειρῶντο τοῖς τείχοις διὰ πελταστῶν καὶ δορυφόρων καταφράκτων ἀνδρῶν, scilicet, *Peltis instructis, & Cataphractis Satellitibus murum invadere tentabant*: Nec aliter Leonis (c) ἐξόπλισον δὲ τὸν μὲν καταφράκτων Καβαλλάριον, αὐτόν τε καὶ τὸ ἱππάριον αὐτοῦ, *Cataphractum Equitem, & Equum ejus armis instrue*. Melius quidem, sed non omnino recte scribit Scholiastes Joannis Cantacuzeni in explanatione dignitatum, ad eamdem vocem Καβαλλάριος, quam ex Italico ductam affirmat, &, Καβαλλάριου, Equestrem Imperatoris Comitatum ex Curopalata, & hujus Comitatus Præfectum, Caballarium dici. Quis vero magis accomodata interpretatione Καβαλλάριοι vocem explanavit aptius, quam doctissimus Goarius in suis ad Theophanem adnotationibus? Noscit Καβαλλάριοι appellationem *a Caballo Latina dictione* derivatam, & Καβαλλέρηδες *Equites torquatos* esse, & *Sacræ Militiæ allectos*. Addere lubet alium Annæ textum in lib. 1. pag. 11. sub littera B: καὶ μὲν καὶ ἐκ Θετταλίας ἄνδρες ἱππεῖς, καὶ μοῖρα τὶς τὸν ἀπὸ τῆς ἑταιρίας οὐκ ἀγεννής: *accedebant Equites e Thessalia; tum pars quadam eorum, qui de Societate dici solent*; Ego verbum ἑταιρίας verterem de *sodalitio*, seu de *Comitatu Imperatoris*: Nec aliter Du-Fresne ad Annam in verbo ΕΤΑΙΡΙΑΣ. *Militabant illæ in Palatio ad Imperatoris custodiam*. Cinnamus quoque lib. 5. num. 8. Γεωργίου μὲν οὖν, ὃς ἑτερείας τῷ τότε ἡγεῖτο τῆς βασιλικῆς: *Georgium igitur Cohortis Imperatoris tunc temporis Præfectum*: Ex his apparet, Imperialem Sodalitatem ΕΤΑΙΡΙΑΣ nuncupatam, & Satellites illos Italica nomenclatione non raro Caballarios vocatos. Altera insuper prærogativa ornatos invenio hosce Milites, quæ Sententiam nostram vehementer confirmare videtur, ut ex Eusebio colligimus (d) Ἤδη δὲ καὶ ἐπ' αὐτῶν τῶν ὅπλων, τὸ τοῦ σωτηρίου τροπαίου σύμβολον κατασημαίνεσθαι ἐποίει, τοῦ τε ἐνόπλου στρατοῦ προπομπεύειν, χρυσῶν

(a) *Codin. cap. 2. num. πζ. pag. 37.*
(b) *Anna Alexiados 2.*
(c) *Leo in Tacticis.*
(d) *Eusebius in vita Constant. lib. 4. cap. 21.* Ἐν τοῖς τῶν στρατιωτῶν ὅπλοις σημεῖα τοῦ σταυροῦ τοῦ σωτῆρος. *In armis militum Signum salutaris Crucis exprimi jubet.*

χρυσῶν μὲν ἀγαλμάτων, ὁποῖα πρότερον αὐτοῖς ἔθος ἦν, τὸ μηδέν. μόνον δὲ τὸ σωτήριον τρόπαιον. *Quin etiam* [ex versione Valesii] *in ipsis armis, salutaris tropai signum jussit effingi; Utque ante instructum armis exercitum, non aurea signa, & simulacra, ut antea moris erat, sed solum Crucis tropaeum praeferretur mandavit.* (a) Erit ne adhuc difficile probatu, illustrem Militiam pio muneri designatam, religiosoque ornatu decoram, & Imperatori tuendo, & Labaro custodiendo, & Cruci in scutis, armisque gestandae, a Constantino institutam? Non erunt haec mihi petenda a Cassiodorio, vel a Prudentio, quorum auctoritas multa, quando testem oculatum habemus. Nec ideo, quae Cassiodorius, & Prudentius adserunt, contemnemus, cum praecipue Eusebii testimonio fulciantur. Ita Cassiodorus: (b) *Assuescens autem milites, ut sicut ipse Deum coleret, signo Crucis eorum arma signabat.* Nonne videtur ad exitum venisse quaestio? Nonne superfluum omnia congerere, quae ad rem pertinent? Quid profitetur Maffejus? Nullam ante expeditionem illam, quae ab Urbano II. coacta fuit, cui Cruciatae nomen inditum, Religiosis ad rem bellicam institutae speciem usquam terrarum in hominum mentes irrepsisse. Hanc igitur Religiosam Militiam, Cruce-signatam, quo nomine appellabimus? Si Maffejo nomen minus arridet, libenter adsentior, ut placentiori nomine utatur: Sed mihi concedat, volo, Equestres Religiones originem, ac normam a sancto, pioque Constantini instituto accepisse, ipsasque Cruciatas Constantini exemplo institutas, atque ex Oriente hunc morem Cruce-signandi milites in Occidentem fluxisse. Non omittam Prudentii carmina, Constantini victoriam canentis, etiamsi iterum ridere vellet Maffejus. (c)

Testis Christicolae Ducis adventantis in Urbem
Milvius, exceptum Tyberina in stagna Tyrannum
Praecipitans, quanam victricia viderit arma
Majestate regi: Quod signum dextera vindex
Praetulerit: Quali radiarint stemmate pila.
Christus purpureum gemmanti textus in auro

Signa-

(a) *Notat Valesius ad verba*, ἐπ' αὐτῶν τῶν ὅπλων: *Idem scribere Sozomenum in lib. 1. cap. 7.* τοὺς δὲ στρατιώτας προσεθίζων ὁμοίως αὐτῷ τὸν Θεὸν σέβειν, τὰ τούτων ὅπλα τῷ συμβόλῳ τοῦ σταυροῦ κατεσήμαινε. Quae quidem Sozomeni verba ex Eusebio desumta nemo non videt. Porro ὅπλων nomine Scuta intelligo, in quibus Salutare Crucis signum depingi jusserat Constantinus. Certe in notitia Imperii Romani hujusmodi Scuta visuntur, in quibus signum Crucis diversis modis expressum est. Sed & Prudentius in libro contra Symmachum idem testatur his versibus.

Christus purpureum stellanti textus in auro
Signabat Labarum: Clypeorum insignia Christus
Pinxerat.

(b) *Cassiod. in Hist. Tripart. lib. 1. cap. 9. sub lit. I.*
(c) *Aurelius Prudentius contra Symmachum. De Potentia Crucis. Epigr. 19.*

Signabat Labarum, Clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis Crux addita cristis.

& iterum

Tunc ille Senatus
Militiæ ultricis titulum, Christique verendum
Nomen adoravit, quod collucebat in armis.

Liceat mihi & Lactantii (*a*) testimonium proferre, quo Prudentii carmina clariora fiant. *Commonitus est in quiete Constantinus, ut cæleste signum Dei notaret in Scutis, atque ita prælium committeret. Fecit, ut jussus est, & transversa X littera summo capite circumflexo Christum in Scutis notat. Quo signo armatus exercitus capit ferrum.* Hoc illud signum est, quod conspicimus in figurationibus nummorum, & imaginum, ut testantur hactenus ejus nummi, & imagines hoc signo decoratæ. Crucem simul, & Christi Salvatoris nostri nomen hoc signum designat per initiales litteras X, & P: & modo figurabantur capite litteræ *X* circumflexo, ut supra notavimus, modo P littera inserta ☧ Utrumque signum in imaginibus, & nummis conspicuum est. Sed quæ Constantinus instituit, a plurimis successoribus Imperatoribus, Apostata aliquo demto, asservata sunt. Exhibet clarus vir Alemanus (*b*) Tabulam ex Musivo, quam Ravennæ extitisse, ait, in qua imago Imperatoris Justiniani munera Antistiti offerentis ostenditur, post cujus dexteram stant armati Protectores, quorum primus in Parma Constantinianam gerit tesseram ☧, gemmis, ut videtur, ornatam, & circumdatam; reliquorum vero non sunt conspicua scuta. Adhuc ne Fabula erit Militia illa illustris, & religiosa? Licebit ne illam, justa Maffejum, castrensem Religionem appellare? Hæc nobis vera, venerandaque sint, & ad fabulas rejiciamus, quæ de magno illo Imperatore Glycas (*c*) narrat, quæ etiamsi ridenda, dicere non piget, ut quæ sincera sunt, clarius eniteant. Ὁ μέγας Κωνσαντῖνος ἡνίκα, κατὰ Μαξεντίȣ ἐσράτευσε, τότε εἶδεν ἐν οὐρανῷ τὸν τίμιον σαυρὸν, ἐφ᾽ ᾧ νενίκηκεν. Εἶτα ῥαθυμήσας, καὶ κατ᾽ ἐχθρῶν ὁρμήσας, ἡττᾶται, καὶ ῥαθυμήσας ὕπνωσε, καὶ κατ᾽ ὄναρ ὑπὸ ῥάβδȣ πλήττεται τὰς μυκτῆρας. Κἀκεῖθεν αἷμα ἐξιὸν, τὸν σαυρὸν ἐν ὀθόνῃ ἐχάραξε. Ταῦτα δὲ ἰδὼν, καὶ μετάμελος ἐπὶ τῷ πράγματι γεγονὼς, νικᾷ καὶ αὖθις τοῖς ἐχθροῖς αὐτȣ̃. *Quo tempore Constantinus Magnus copias contra Maxentium ducebat signum venerandæ Crucis in aere conspexit, indeque eum hoste congressus victor decessit. Tum vero negligentior factus, ubi rursus in hostem prorupisset, victus est. Quo detrimento accepto, quemdam in mærorem incidit, & consopitus est. Hinc per quietem visus est sibi nares virga quadam verberari: moxque de naribus sanguis promanans, in veste linea notam Crucis expressit. Qua re conspecta, pœnitudine sui delicti ductus est, ideoque*

rursus

(a) *Lactant. Lib. de Mortibus Persecutorum cap. 44.*
(b) *Ex notis Nicolai Alemani in Historiam Arcanam Procopii pag. 146.*
(c) *Michael Glycas Annalium par. 4. pag. 247.*

rursus hostibus suis superior evadit. Mirum est, quot fabulosis narrationibus scateant recentiores Græculi. Quid dicam etiam de docto quodam, & magni nominis viro, & in Græcis litteris eruditissimo, qui nititur adstruere, Crucem a Constantino cælitus visam, Parelium fuisse? Si homini de Catholica doctrina perperam sentienti fides præstanda esset, nonne omne Constantinianorum fundamentum rueret? Hæc quidem & a veritate, & a Christiana pietate aliena sunt: attamen, ut finem suum adsequeretur, a Maffejo non erant prætereunda (*a*). Sed [ut ad Militiam nostram redeamus] passim apud Græcos Historicos hornm Protectorum [ut vocabulo minus suspecto utar] mentionem aliquam haberi videmus, qui etiam Dominica Cruce signati longe ante Cruciatæ expeditionem occurrunt. Appositus fortassis est ad hanc rem demonstrandam Annæ Comnenæ locus, quæ scribens Comnenorum suorum suspectam apud Nicephorum Botoniatem Imperatorem auctoritatem, potentiam, & fidem, atque eorum e Constantinopoli fugam, tum Matronarum Comnenæ domus in asylum Templi secessum, tum Botoniatis ad Senatum de Comnenis querellas, ait, ad illas missos Domesticos Imperatoris duos, quemdam Straboromanum, & alium Euphemianum nomine, qui ipsas ad Palatium ducerent. Sed per viam Templum ingressa Comnenorum Mater; (*b*) Περίτε αὐτὰ πυπὰ εἰσέδια τῦ ἱεροῦ βήματος πελάσασα ϗ γονυκλισιάς δύο ποιησαμένη, περὶ τὴν τρίτην καθεσθεῖσα χαμαὶ, ἀπρὶξ τῶν ἁγίων εἴχετο θυρῶν, ἐπιβοωμένη ὡς εἰ μὴ τὰς χεῖρας ἀποτμηθείη, ουκ᾽ ἄν τοῦ ἱερῦ τεμένυς ἐξέλθοιμι, εἰ μή τὸν τῦ βασιλέως ὥσπερ ἐχέγγυον τῆς σωτηρίας δέξαιμην ςαυρὸν. ἐκβαλὼν δὲ ὁ Στραβορωμανὸς, ὅνπερ ἐπεφέρετο ςαυρὸν ἐγκόλπιον ἐδίδυ; *Cum ad ipsum ingressum Sacri Bematis processisset, genuflexionibus duabus factis, in tertia subsedit humi, sacrisque portis validissime arreptis, audacter clamabat, se, nisi manus abscinderentur, nulla unquam vi dimovendam Sancto loco, nec Templo discessuram, quoad promissæ ab Augusto salutis pignus accepisset Crucem. Straboromanus, hæc audiens*, QUAM FEREBAT IN SINU CRUCEM DE COLLO SUSPENSAM *offerebat*. In hanc partem quoque trahi posset Cantacuzeni locus, quamvis Cruciatis posterioris, ubi Andronici Junioris contra Orcanem bellicum apparatum, ac pietatem innuit, cujus milites, ςαυρῷ τε καθοπλίσαντες ἑαυτοὺς, *Signo Crucis obarmati*, in hostem processerunt. Ad quem locum Pontanus: *Credo etiam hos milites fuisse memores illius, quod in vita Constantini legimus*, IN HOC SIGNO VINCES. In quo tamen non persisto; Res enim adeo perspicua mihi videtur, ut nullis conjecturis, vel argumentis indigeat. Nec adeo sententiæ meæ tenax ero, ut Maffejo, si mihi probaverit, Annæ locum ad hæc non pertinere, libenter non

H adsen-

(a) *De Christi Monogrammate longe aliter sentit Harduinus: nihil enim in illo videt præter literam T litteræ P subjectam, ut intelligatur*, tributum primum: Sed hæc referre refellere est, *inquit Banduri*.

(b) *Anna Comnena Alexiados lib. 2. pag. 54. lin. 34.*

(c) *Cantacuz. lib. 2. cap. 6. num. 213.*

adſentiar. Dubitare facit Du-Freſnius, qui σαυρὸν ἐγκόλπιον, *Crucem Encolpium*, a Græcis appellari vult illas *Cruces*, *Sanctorum reliquias*, *aut vivificæ Crucis particulas continentes*, *quas catenulis de collo ad pectus pendentes geſtabant*. Atque auxiliarem Auctorum cohortem, opinioni ſuæ ſuppetiaas ferentem, ducit. Sed mihi aliter ſentire videtur, mihi adſtipulante illa Auctorum phalange, & præcipue Anaſtaſio Bibliothecario, qui ad Actionem 5. Synodi octavæ adnotat, *Encolpium eſſe*, *quod in ſinu portatur*, κόλπος *enim Græce*, ſinus *Latine dicitur*. Hinc Encolpion effictum, addita particula ἐν, quæ *in* Latine ſignificat; & vulgus res ſacras quaſcumque, quæ ad ſinum pendentes geſtarentur, Encolpia vocabat. Ita Encolpia dici poſſunt Epiſcoporum, & Præſbyterorum Cruces, Reliquias Sanctorum continentes, quas nunc ad ſinum, e collo ſuſpenſas ferunt. Hunc Græcorum Imperatoris morem fuiſſe indicat Anaſtaſius, & quid fuerint illa Encolpia exponit. Encolpia nuncupatæ quæcumque imagines Sacræ ante pectus ſuſpenſæ; & quidquid in ſinu geſtaretur, Encolpium dictum. Sed res clarior fiet ex Pachymere lib. 4. cap. 6. qui ſcribit, Sultanem miſiſſe ad Imperatorem, *qui eum rogarent*, *ad ſe mittere non gravaretur quædam ex ſuis Sacris amuletis*, *quæ vulgaris ſermo vocat* Encolpia, *icunculas videlicet geſtari de collo pendentes ad ſinum Religionis cauſſa ſolitas*. Obſervat doctus Poſſinus, *ejuſmodi Religioſa geſtamina* ἐγκόλπια *vocata*: *quod nimirum e collo apta in ſinum penderent*. Ea re Annæ placitum, non univerſitatis vocabulo ἐγκολπίον tantum ſcribere, per quod Crucem, aut aliquod aliud ſacrum pietatis cauſſa in ſinu pendens ſignificatur, ſed adjecto σαυρόν: Quod quid aliud eſt, quam Crux; & ἐγκολπίον latiori vocabulo ſumtum, quid aliud demonſtrat, quam locum, nempe ſinum, ad quem Crux non tantum ut pietatis, ac Religionis ſymbolum, ſed veluti honorarium, aut militare quoddam ſignum pendebat. Quapropter lib. 10. pag. 284. ſtupentem Annam audimus, dum occiduorum populorum innumeras acies gregatim conſociatas ad Jeroſolymorum expeditionem properantes intueretur, quorum ſinguli indiſcriminatim, Φοίνικας φέρον καὶ σαυρὲς ἐπ' ὤμων, γύναιά τε καὶ τέκνα τῶν σφῶν ἐξεληλυθότα χωρῶν, *coccineas in humeris geſtabant Cruces*: *id quaſi inſigne*, *ac teſſera militiæ*. Notandum hic eſt obiter, ejuſmodi Sacra Encolpia, & Cruces aliquando miſſa, aut adhibita fidei faciendæ, ſive juramenti cuſtodiendi, ut paſſim apud Byzantinos Scriptores reperitur. Inſignis eſt Cantacuzeni locus in cap. 17. lib. 3. quem ſcribere non piget. *Hæc ubi Patriarcha libens audivit*, *& Apocauchum ſui eſſe ſtudioſum conſtantius credidit*, *pauca de affinitate collocuti*, καὶ κατά τὸ Ρωμαίων ἔθος δι' ἐγκολπίων ἐμπεδώσαντες τὴν πρᾶξιν, *& more Romano Encolpiis*, [non autem *pronubis monilibus*, ut vertit ejus Interpres] *acta confirmantes*, *Apocaucho inſuper caput ſuum horrendis execrationibus devovente*, *niſi ſincerus ſit &c.* In quo duas jurandi formulas obſerves, unam Sacrarum gentium, nempe per rem ſacram, ſeu Patriarcale Encolpium, alteram profanarum, nempe caput ſuum execrationibus devovendo, quales leguntur apud Livium, Polybium, Feſtum, & alios, ex: gr: *ſi ſciens fallo*, *ita me Dieſpiter ejiciat*, *ut ego hunc lapidem*. In idem recidunt, quæ in aliis Conſtantinopolitanis Hiſtoricis leguntur, qui a Du-Freſnio

longo

longo ordine citantur. His positis Crucis signum certe in Oriente in usu fuit; & a Clarissimis Viris qua belli, qua domi gestatum vidimus, tanquam Religionis simul, & dignitatis indicem, cum nondum in Occidente Cruciatæ essent inventæ. Hanc adeo piam, sanctamque institutionem, Orientalium exemplo, in Occidentem migrasse pro certo est tenendum: Constantinum Auctorem Cruce-signandi milites, & legiones credendum: Nobilissimis Viris Crucis honorem, veluti dignitatis specimen concessum apud Orientales fuisse: Hoc adorando Schemate Præpositos illos, quibus Labari protectio demandata erat, quique Imperatoris Comitatu decorabantur, signatos: Straboromanum, qui Crucem, quam e collo suspensam ferebat, Comnenæ obtulerat, tanquam Imperatoriæ fidei pignus, ex numero istorum fuisse: Hosce Satellites, seu mavis Milites, vel Principis Protectores ad usque extrema Orientalis Imperii tempora ab Imperatoribus Græcis servatos: Ad eos tum ritum aliquem, tum nomen, ob commercium, quod cum Italis, & Gallis Græcanicæ gentes habuere, accessisse: Et ne Maffeji doctrinam, si sua est, omnino proscribere videamur: Cum Principum Satellites, (*a*) *Milites olim nominatim vocarentur*, *ubi id muneris Italice nominandum fuit*, vocem *Miles* in *Cavallitre* conversam, & *Militiam Cavalleriam* nuncupatam: Hinc *Cavallarii* nomen a Græcis fuit usurpatum ad insignem Militem, seu Equitem significandum, rejecta notissima illa, & propria ἱππεύς, quæ gregarium equitem, seu militem denotat equo insidentem. Sed Crucis signaculo non tantum usam Constantinianam Militiam, sed ut firmissimo in prœliis præsidio, arma, & scuta aliquando munivisse alias Orientales gentes, constat. Legimus apud Nicetam in vita Joannis Comneni de quodam Constantino Armeno, qui in obsidione cujusdam Armeniæ oppidi a milite quodam Macedonico, Eustratio nomine, verbis lacessitus, fulguris instar, nubibus emicantis, aut montaneæ Capreæ, e fructicibus exilientis (*b*) τῷ Εὐστρατίῳ προσρήγνυται, οὕτω μὲν τηλίκως τὸ τοῦ σώματος μέγεθος ὤν, οὕτω δὲ θαρσαλέος πολεμιστής, ἀσπίδα περιβεβλημένος ἴσω πάντοθεν καὶ λευκήν, χάραγμα σταυρικὸν περὶ τὸ μέσον ἔχουσαν, *Eustratium adgreditur*, *bellator & ingenti corpore*, *& animo confidenti*, *albo Clypeo munitus*, *undique æquali*, *cujus umboni Crux insculpta erat*. De hoc more Crucis gestandæ, vel e collo pendentis, vel in armis depictæ & a Latinis (*c*), & a Græcis Auctoribus plura accepimus, quæ ut supervacanea omittimus, cum abunde argumento nostro satisfecisse putem. Ex his, quæ enarravimus, tenes, Clarissime Vir, quæ fuerit Militiæ Religiosæ origo, quæ omnibus Equestribus Religionibus, & Ordinibus norma fuit, & per quam dignitatum ornatus evasit Crux, quæ prius supplicii, ac dedecoris nota fuerat: Ut Crucis prærogativa Protectores suos ornaverit Constantinus: Ad quam celsi-

 tudinem

(a) *Maffejus Epistolæ* §. 2.
(b) *Nicet. in vita Caloioannis n.* 6. *pag.* 16. *linea* 8.
(c) *Nicolai Papæ I. Respons. ad Consf. Bulg. cap.* 7. *Cum corpore* [Crux] *gestatur*, *ut & mente gestari debeat*, *facilius admonentur*.

606

tudinem ipsos evexerit Theodosius : Ut belle congruat Aureata hæc, & Religiosa Militia cum Equestribus Ordinibus, qui ad illius imaginem post Cruciatas in Occidente emerserunt. Hæc tuus secum tractans animus, & cogitans, cognoscat oportet, falsam Maffeji doctrinam, qui ante Cruciatas nullam religiosam Militiam agnoscit, & de Constantiniana ita sentit, quasi de Melitensi loqueretur. Non enim Fabulam dicere debuisset, eoquia nugatoriæ sint Regulæ, quæ Isaacio tribuuntur : Falsa Epistola, quæ genuina Sancti Leonis putabatur : Suppositiţium, quod a Michaele primo Palæologo datum, adscrebatur diploma. Omnia pridem æqua lance ipsi libranda erant, & exquisite examinanda, & tunc jis rejectis, quæ veritatis candorem coinquinabant, ipsius jura religiose servare debuisset. Melior profecto, & æquior Papebrochii sententia mihi videtur, licet eam omnino non probem. Nam cum adserit, Constantinum (a) *nonnisi per meram fictionem jactari auctorem Militiæ Sacræ, qualem* Ordines Hospitalariorum, ac Templariorum *profitentur*, recte judicat : Certa res est. Sed cum opinatur, *post Latinorum* e Constantinopoli *ejectionem, succedentes jis Imperatores Græcos aliquid tale imitatos, qui tamen, ne vel in hoc Primas cedere viderentur Latinis, maluerint Gregorianæ, ejusdemque Constantinianæ Militiæ, non tam institutores, quam instauratores videri*; in hoc clarum illum hominem deceptum judico. Nec in hanc partem trahi possunt, quæ scribit Cantacuzenus, ut ad Ordinem aliquem peculiarem referantur : Immo Maffeji doctrinam in hac parte sequi malo, non ea ratione adductus, (b) *quod proprium nomen habuisset, quod* a Cantacuzeno *non supprimeretur;* Sed quia Καβαλλάριων usurpatur ad exprimendam Equestrem dignitatem; non vero specialis Ordinis Militem, cujusmodi erant Hierosolymitani, qui a Niceta, & a Cantacuzeno φρερίων, *Freres* vocabantur; ut de illo Equite Fratre Petro de Piniolo, qui a Cantacuzeno Καβαλλάριον φραμπέρν τεμπινιόλ nominatur *Cavallarius Frà Petrus de Piniolo*, ut observat Scoliastes. Hoc solum notatione dignum est, quod cum Latinis quibusdam Equestrem dignitatem, auspice, & protectore Divo Georgio Equite, contulisset, Italicos ritus servavit, qui forsitan inter Græcos tunc temporis irrepserant, & ab Angelis Nostris, cum in Italiam migrassent, custoditi fuere, locorum moribus sese aptantes; & Militiam hanc ex horrida illa antiquitate ad præsentem usum flexere. Cantacuzeni verba (c) hæc sunt : Μὴν δὲ τὴν εὐφημίαν ἔφιππος γενόμενος ὁ βασιλεὺς, καὶ τῶν ἄλλων πάντων ἐφ' ἵπποις ὅσοι ἦσαν, πρὸς τὸν ναὸν τοῦ μεγαλομάρτυρος ἐγένετο Γεωργίου τοῦ Παλαιοκαστρίτου προσαγορευομένου, καὶ τὴν προσκύνησιν ἀπεδίδον. καὶ τισι τοῖς ἐκ τῆς Λατινικῆς στρατιᾶς, τὴν Καβαλαρίων παρεῖχε τιμὴν, πάντα ἐπ' αὐτοῖς τὰ εἰθισμένα πράττων. *Post applausum equo insidens Imperator* [Cantacuzenus] *aliisque omnibus, quotquot erant, in equis prosequentibus, Templum Magni Martyris Georgii Palæocastritæ petivit, eumque precibus venera-*

(a) *Papebrochius in mense Aprili, die 23.*
(b) *Maffeius Epistolæ §. 10.*
(c) *Cantacuz. lib. 3. cap. 27. pag. 456.*

veneratus, gratias egit: Et quibusdam de Latinis auxiliis, tum sollemni cærimonia, Equestrem dignitatem contulit: Seu, ut placet Papebrochio, *Cavallariorum contulit dignitatem, cuncta faciendo, quæ pro talibus facienda sunt:* Sive, ut Goarius vertit (a) *& quibusdam de Latinis auxiliis, cum sollemni cærimonia Equestrem, patrio eorum more servato, dignitatem contulit,* in templo τῦ πεγάλουμάρτυρος Γεωργίου, ut felicibus ejus auspiciis coronam sumsisse videretur: non vero quia Equites, quos creaverat, Georgianæ Militiæ nomen dedissent; Nam in eodem templo Officia, dignitatesque alias, coronationis ritu peracto, distribuit. Meliora quidem afferre non possum, si veritati famulari velimus. Hoc solum a Maffejo impetrare velim, ut magnum Martyrem Georgium concedat fuisse, quem Equitem vocamus; Nec contra omnia ingenium suum nimis studiose exarsisse, ostendat. Quo impetrato, illius cum pace, integrum Pontani Scholium ad relatum Cantacuzeni textum referam. *Epitheton* παλαιοκαςρίτης [inquit Pontanus] *Græcolatinum Gretsero nostro videtur. Nec mirandum, inquit, si* παρὰ τὸ κάςρον, *quod a recentioribus Græcis in usu est, formavit* κασρίτην, *& composite* παλαιοκαςρίτην, *nihil enim hoc in genere non audent novi Græci. Hinc etiam* κας ροφύλαξ *apud Curopalatam. Sed Sanctum Georgium Græcis, Latinisque tam celebrem nominari veterem, aut antiquum militem, cum a Græcis* τροπαιοφόρος, *& aliis honestioribus multis Epithetis ornetur, non placet, quo fit, ut alium Georgium fuisse existimem, & nomen* παλαιοκαςρίτης *esse nomen ejus Patriæ. Nam Palæocastrum vocatur a recentioribus Græcis, & ab Italis* Palæocastro *Itanus Urbs Cretæ, idemque nomen habet Minoa portus Cretæ, ut tradit Ortelius in Synonimis Ortographicis. Hinc istum Georgium natum, & ut ab alio veteri discriminaretur* παλαιοκαςρίτην *ab Historico appellatum credo: sicut & alius quidam Georgius Martyr nominatur a Græcis Limniota, de quo etiam Martyrologium Romanum 24. Augusti. Nihil præterea de Georgio Palæocastrita hactenus comperi. Si quis tamen velit, celebratum illum apud omnes Georgium Martyrem intelligi a Cantacuzeno, cum hoc non contendam. Hoc enim probabile esse, vel illud est argumento, quod Cantacuzenus multos in hoc templo Equestri dignitate ornavit, fortassis tanquam in Æde generosi Equitis, Equestriumque Ordinum Patroni. Nec forsan a vero aberret, qui arbitretur, nomen hoc Palæocastritæ venisse Sancto Georgio ab ipso loco, quo Didymotichi colebatur. Quid enim usitatius, quam nomina indere Divis a locis, in quibus coluntur.* Huic opinioni ego quoque subscriberem, nec dubitarem affirmare, Cantacuzenum de D. Georgio Equite locutum, eo quia μεγαλομάρτυρος *Magnus Martyr* nuncupatur: Nec me movet, quod *Palæocastrita* vocetur, cum indigitare voluerit historicus templum Martyris, quod in veteri castro situm erat: non vero Martyris illius Patriam, ut etiam tenet Papebrochius. Sic legimus apud Acropolitam Νεόκαςρον, nempe *novum Castrum*, & apud eumdem Cantacuzenum Θωμόκαςρον, & similia.

(a) *Goar. ad Cap. 17. Georgii Codini n. 54. pag. 135.*

milia. Sed concinna, & elegans mihi de divo Georgio loquenti occurrit Maffeii (*a*) animadversio, qui *Equitis nomen D. Georgio proximis tantum sæculis impositum* vult; *nimirum postquam ad significandam invicti Martyris de Dæmonio victoriam, ipsum equo insidentem, draconemque lancea perimentem Pictores symbolice effinxerunt*. O pulcherrimum inventum? Isne solus adeo præclaram de Dæmone victoriam retulit, ut meruerit, Draconem transfigens repræsentari? Eadem dicemus de Divo Theodoro, ad cujus pedes immanis Draco Martyris lancea perculsus pingitur: Eadem ad cujuslibet Sancti de infernali hoste victorias exprimendas fingi, necesse fuisset. Nonne graphice facetum se præberet, qui talia serio assereret? Hæc cum in gratiam nostri Censoris fuse nimis prosecutus fuerim, silentio non feram, quas legi, Dissertationes Historicas, & Criticas de dignitate Equestri, sæculari pariter, & regulari, Parisiis editas anno 1718. Auctore Honorato de S. Maria Excalceato. Hic dissertatione 5. primum Ordinem Equitum a Constantino Magno, occasione Labari sui institutum censet. Qua data occasione, Lipsiensium Compilatorum Criticem in hunc Librum recitabo. (*b*) *Videtur quidem nobis*, inquit Collector Actorum, *hac opinio, æque ut priores repudianda, ipseque Auctor adduxit plures sibi contradicentes. Nihilominus dissentientes ipsos refutare conatur, simul adducens permultos suæ subscribens sententiæ. Dissertatione Sexta pergit contexere historiam Ordinis illius Constantiniani, ostenditque ei pristinum splendorem ab Imperatore Isaacio Angelo fuisse redditum: quanquam verisimilior est Helyoti, Scriptoris Ordinum Monasticorum, sententia, contendentis, Angelum illum non tam restaurasse, quam potius instituisse Ordinem Constantinianum. Certe ab illo inde tempore semper legimus, viguisse hunc Equitum Ordinem, donec, expugnata Constantinopoli, Equites hujus Ordinis delati sunt in Italiam*. Palma datur Helyoto. Numquidnam addendum restat? Pol satis erudite. Sed si Lipsiensibus non placet, a Constantino Ordinem Equestrem fuisse institutum, lusus est in verbis. Certe aliquid instituit Constantinus, ut ex relatis patet, quod vel Ordinem Equitum, vel Militiam piam, vel Labarorum Præpositos appellare velint, si rem, quam negare non possunt, concedant, verbis non contendo. Redeat nunc illuc, unde sermo noster defluxit. Equestris [ut ante dixi] dignitas in voce Καβαλλάριον designatur; Et ut ea libertate utar, qua veritatis amatorem decet uti, a Du-Cangio dissentio, qui videtur (*c*) hoc velle, ut Cavallarii intelligantur, qui militari cingulo donati sunt. Nam si nominis originem apud Francos, & Italos quæramus, forsitan a Caballo dictos fuisse, concedam, ut apud Monachum Egolismensem in Carolo Magno (*d*) & apud Hincmarum Tomo 2. Opuscul. 5.: Et non semper apud Italos *Cavalliere*, & apud Gallos *Chevalier* significat *Equitem*, sed aliquando quod Latini Scriptores proprio vocabulo *Militem* nuncupant; cum hoc idem nomen ab Italis, & Fran-

(a) *Maffejus Epistolæ* 5. 4.
(b) *In Supplem. Tom.* 7. *Sect.* 8.
(c) *Du-Fresne in notis ad Alexiadem*.
(d) *Monach. Egolism.* 18. Erant in ipso 12. Caballarii.

& Francis tandem tractum fuerit ad exprimendum Nobilem aliquem Virum. Quod si a Græcis etiam neotericis usurpatum fuit, non Virum Nobilem significare voluerunt, non militem, sed Equitem; ut exemplorum plenæ sunt Græcæ historiæ, & ut plerumque earum interpretes conjectarunt; ut Possinus apud Pachymerem, Pontanus apud Cantacuzenum, ac alter Scholiastes, & alii. Nec sententiam suam firmat, quem adfert, Cantacuzeni textus in lib. 1. cap. 42., ubi adventum Annæ Imperatricis e Sabaudia Byzantium, frequenti, & regio virorum, feminarumque comitatu, in quo multi Καβαλλάριων, καὶ Σκουτερίων *Caballarii*, *& Scutarii* sequebantur; & multo minus ceteri probant. Nam Caballarios, & Scutarios illos, qui in regio Cæsareæ Feminæ comitatu non postremum tenebant locum, gregarios milites non fuisse, certissimum judico. Mitto disquirere, an ex septentrionalium populorum moribus ritus, qui nunc in Equitibus creandis servatur, ad Italos manaverit, ut doctis Viris Percezio, Du-Cangio, aliisque longe ante Maffejum ex notissimo Taciti loco, visum est, an aliunde, & in Italia inveniri possit; Cum inter Cærimonias Equites creandi principem locum obtineat ictus, quem Princeps Equiti infligit, vel manu, vel lato gladio, eoque quasi ad Militiam Equitem accingit. Unde non videtur ab eo abludere veterum Romanorum illa manumittendi ratio per rhapismata, & alapas. His præmissis, quæramus, quid tandem Angelis Nostris objiciatur? Quid subtiliter, quid false, quid eorum posteris utiliter moliti sint? Maffejus (*a*) dicit his verbis. *Anni 1576. documentum exhibent* [erravit in anno, accepitque annum, quo Litteræ affixæ publicatæ fuerunt pro anno, quo datæ sunt, scilicet 1575.] *quo inter cetera indultum ipsis a Summo Pontifice ostendunt jus Milites faciendi, sive Equites Aureatos*. Quid indultum? Num Principibus Viris nimia facilitate quid concessum? Maffejus certe excusandus, qui attente Litteras illas non perpendit. Quod enim exhibitum fuit ab Angelis documentum, quo in possessione creandi Equites servantur, triginta circiter annorum distantia anteit Litteris anni 1575. cum sit Motus Proprius [ut vocat Romana Curia] felicis recordationis Paulli III. in quo, non quæ Militum Piorum, Lauretanorum, S. S. Petri, & Paulli, ac S. Georgii Collegiis concedebantur, solummodo concessa sunt: Sed per ipsas jura Angelorum servantur, adprobantur, & confirmantur: Et cum fuerint in possessione faciendi Milites, seu Equites Aureatos, motu spontaneo Pontificis, & ex mera liberalitate in eodem jure firmantur, hisce verbis, *ex certa Scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, Apostolica auctoritate confirmamus, & approbamus, sibique pro potiori cautela eadem singula præmissa de novo concedimus, confirmataque, & concessa, ac valida fore, & esse, & ita per quoscumque &c. sublata &c. judicari debere irritum &c. decernimus, & concedimus*. Intelligenti Motus Proprii vim, & effectum non remanet cavillandi locus, cum nec obrepta, nec surrepta dici possint, quæ ex mera Principum voluntate emanarunt. Sed his omnibus omissis, quis affirmaret, Principibus Viris, quorum majores Imperii Romani frena tenuerunt, jus Equites creandi

(a) *Maffejus Epistola 5. 9.*

creandi non competere? Homines enim rerum suarum dominio per vim spoliari possunt, sed jura, & animo retenta possessio, ut ajunt Jurisperiti, ab jis qui injuria res nostras impetunt, eripi non possunt: Immo ereptæ nec per longam usurpantis possessionem, amitti debent, cum tempus ad hoc vim nullam effectricem habeat. Quin per Legem XII. Tabularum, *æterna auctoritas cum hoste esto*. Quod magis efficit, si rapientis desultoria possessio fuerit, quæ nihil officit, præcipue legitimo Domino ambigente. Sed hæc ad rem facerent, si de recuperatione Constantinopolitani Imperii ageretur [quod jus avitam gloriam ostentans, licet inconcussis innitatur monumentis, & a magnis Principibus ratum habeatur, parvi faciendum est, nisi armis muniatur], non vero de juribus illis, & prærogativis, quæ Principes vel imperantes, vel Principatu etiam ejectos, comitari ubique solent: quales Cavalleriæ, & Comitivæ honores distribuendi facultas; quæ etiam a Maffejo concessa habemus. Nam si demas Angelorum Imperatoriam Nobilitatem (*a*), *fundamentum*, inquit, *omne Constantinianorum corruere*. Ejuscemodi jura, mare transfretantes, in Italiam detulerunt, ad ea fulcienda, Palæologi Diplomatibus minime indigentes. Nam quæ ab Atavis petita fuere, & jure sanguinis ad posteros trasmissa, ab extraneorum largitionibus non erant dignoscenda. Hoc unum ex Maffejo quæro, utrum in favorem Imperialis familiæ, ex Illyrio profugæ, & omnibus ferme bonis spoliatæ [opibus enim, & sanguine Angeli nostri Christianæ Fidei litandum duxerant] potuerat Summus Pontifex Paullus III. novam Religiosam Militiam instituere? Si Criticus negat, ulterius non disputo, aliisque judicium relinquo. Quod si concedat, cur veterem renovare, & collapsam instaurare non poterat? Cur Militiam hanc post eversionem Orientalis Imperii pro derelicto habitam Angelis, quasi postliminii jure, sive poscentibus, sive repetentibus committere non debebat? Quid, si ultro fecit, & factum auctoritate Apostolica munivit, successoresque Romani Pontifices confirmarunt: Si Imperatores, Reges, Principes pluribus emissis Rescriptis ratum habuere (*b*): Si Constantiniana Militia duobus ab hinc sæculis per universam Europam late difunditur: Si hujus translationem in Sereniss. Parmæ, & Placentiæ Ducem ab utraque potestate Pontificia, & Cæsarea firmatam novimus: Hæc omnia inter aniles fabulas invitis Diis, hominibusque cum Maffejo numerabimus? Quod caput rei est, nostro etiam fatente Critico, in hoc situm puto, ut probetur, Angelos imperiali Sanguine cretos fuisse, & aliquod inter Græcos Religiosæ Militiæ specimen extitisse. Quorum utrumque cum verissimum sit, & testibus omni exceptione majoribus demonstretur, cetera ut minoris momenti non nocent, & missa facienda sunt. Quis nescit, quod Proceres ad dignitatum culmen evectos subdoli, & vafri homines, sive spe aliqua sibi proposita, sive assentandi studio, sæpissime circumveniunt, & nubem, ut ajunt, pro Junone ample-

(a) *Maffejus Epistola ad Cup. §. 8. circa finem.*
(b) *Diplomata Ferdinandi II. 1630. 3. Novemb. Leopoldi Impp. 1671. 25. Junii, Ferdinandi Bavariæ Ducis 1667. 8. Junii, & 1669. 26. Julii: Joannis III. Poloniæ Regis 1684. 11. Maii.*

amplectendam submittunt. Hinc culpa vacasse etiam Angeli censendi sunt, si quando decepti deceperunt, & supposititia pro veris publicæ luci mandavere. Unumquemque ipsorum Critico Maffeji acumine donatum supponere oporteret, eo præsertim tempore, quo Critica Ars vel nulla erat, vel a doctissimis solum exculta in vulgus prodire erubescebat, tota semilitteratorum caterva reclamante. Quæ nobis prosunt, ea facile credimus, atque ut ab aliis credantur, optamus, nullamque inter Familias Principes inveniemus, quæ, licet falsis non egeret honoribus, aliquando tali pacto sibi fucum fieri passa non sit. Num propterea si quæ falsa, aut incerta sunt, certis, & veris fidem demere poterunt? Vel potius sani, & sinceri Critici Officium non erit spuria a legitimis, supposititia ab authenticis secernere? Verum ut funditus Maffeji opinionem excutiam, negabo (*a*) *furtivum* illum *a Militari dignitate ad Equestrem Religionem trajectum*, quem observat: Cum nunquam hæc Militia Equestribus Religionibus accensita sit. Illud negandum non est, hanc Militiam sub duplici aspectu comparuisse. Qualis in Oriente fuerit jam vidimus; qualis in Occidente sit, modo videmus: Ac veluti planta exotica in alienam regionem translata induit novi Cæli, & soli proprietates, suam naturam, atque indolem omnino non exuit; ita Constantiniana Militia inter Græcos nata, & educata, in partes occiduas migrans ad nostros mores deflexit. Nec prius Occidentalium mores, ritus, consuetudinesque superinduxit, quam a Pontificibus, & maxime a Julio III. datum sit, cujus Motus Proprius adfertur, in quo, si tanquam suspecta rejicias, quæ de Palæologo Michaele recitantur, noscimus, *de Apostolicæ potestatis plenitudine*, concessa, & confirmata singula Angelorum jura, tum etiam *Milites Constantinianos, sive Aureatos Equites sub regula Beati Basilii, & titulo S. Georgii Græciæ Patroni militantes, cum Cruce rubeâ signatos, & signo aureo in medio ipsius Crucis, quo Constantinus Magnus, dictæ Militiæ primus Institutor utebatur &c. creandi, ac etiam Comites, ac Barones faciendi cum heredibus suis in perpetuum*. Hæc, licet altius suspicere nolimus, quamdam Præposituram postulant, in qua Supremi sui Moderatoris dignitatem venerentur, regulisque, quæ essent propositæ, Milites obtemperent. Sed quibus documentis usus, Militiam hanc Religionis nomine continuo appellare voluit Maffejus? Si ab *æquivocis* (*b*) *& captiosis verbis cavere* cupiebat, ut Cupero spopondit, Religionis nomine non erat indigitanda, cum inter Religiones, nec recenseatur, nec recenseri possit. Insaniunt siquidem, qui inter illas hanc quoque dinumerant; Et ante omnes fallitur Justinianus (*c*) Sacræ Concilii Congregationis decreto innixus, quod non satis ab ipso cognitum in adversam partem traxit: Sed Maffejus, ut captionibus suis nos perfabricaret, ejus intellectum neglexit, & cum Justiniano, cui (*d*) *alia studiorum ratione opus fuisset, quam quæ apparet ex ejus stilo*, affirmat, lubens erravit. Hujus decreti

I in §. XV.

(a) *Maffejus Epistola ad Cup. §. 9.*
(b) *Maffejus §. 1. circa finem.*
(c) *Bernard. Justin. Comp. Histor. 1696. pag. 54.*
(d) *Maffejus §. 16.*

in §. XV. tantum meminit ad contumeliam, commenticiam significationem tribuens voci, *pratensos*, quæ in ipso legitur. Congregationi Sacræ rogationem exhibitam, ejúsque responsa subdam. Quærebatur primo ab Illerdensi Episcopo, *an Milites Ordinum Militarium S. Lazari, S. Stephani, & Constantiniani possint beneficia Ecclesiastica Sæcularia absque dispensatione Apostolica obtinere. Et Congregatio de Ordine Sanctitatis Vestræ resolvit, in Ordinibus Militaribus S. Lazari, & S. Stephani, quod possint. In Ordine tamen Constantiniano resolutio capta non fuit; ex quo dubitatum fuit, an Militia Constantiniana esset Religio*: Et paullo inferius iterum quæsitum: *An Militia Constantiniana &c. sit vere, & proprie Religio, ita quod Milites professi, qui Presbiteri, seu Clerici sunt, non possint obtinere beneficia Ecclesiastica Sæcularia absque dispensatione Apostolica.* Quid respondit Congregatio? *Censuit, pratensos Milites posse obtinere hujusmodi beneficia absque dispensatione.* Quid a me expectas? Argumenta hujus rei? Nihil addo; Decretum est in medio. Instabit Maffejus. Ex Decreto S. Congregationis male trahitur in consequentiam, quod Constantiniana Militia non sit religio; Nam Equites Militenses, aliique Milites regulares militantium Religionum, non emittentes omnia tria vota substantialia Religionis, non sunt incapaces beneficiorum sæcularium. Verum hæc quoque facile refelli possunt, nisi in nominum quæstionibus versare velimus; Cum enim Religionis nomen in suo latiori intellectu sumimus, quilibet Conventus ad pia opera constitutus vocari potest Religio; res quælibet, insigne aliquid pietatis præferens, religiosa jure nuncupabitur: Sic quælibet loca pia appellantur religiosa: Religiosa dicuntur Xenodochia: Religiosa Nosocomia, Brephotrophia, Hierocomia, & similia religiosa habentur. Quod si Religionis appellatione aliquando in Bullis vocata legitur Constantiniana Militia, dici non potest, tunc Pontificem voluisse, Religionem instituere. Nec talem eam constituunt Regulæ illæ, quæ ipsi adsignantur & a Divo Basilio excerptæ dicuntur. Quæ quam remotæ sint ab institutionibus asceticis, quas Monachis suis tradidit Magnus ille Patriarcha, clare patet. Monachorum est flere: Militum pugnare, Ecclesiæ, Imperiique jura tueri, Principem Satellitio protegere, & similia. Itaque non erit incongruum religiosos dicere Milites Constantinianos, quorum primam originem, si respicere velimus, ad religiosum officium electos cernimus: Si Militiæ tesseram, quam præferunt, Religionis insignia in Cruce agnoscimus: Ejus ideam ex quo fonte sumtam quærimus, cælitus datam nos docent historiæ. Quid ultra in nominibus ambigimus? Nullum id quidem argumentum est. Ego tantam vim huic voci non tribuo, ut religiosam Militiam vocare Constantinianam exhorrescam, & hanc veluti ideam sacræ illius expeditionis, quæ Gothofrido Bullionio Duce, ab Urbano II. instituta fuit, cognoscere dubitem. Hinc originem sumsere plures militares cœtus, qui cum certis se adstrinxissent votis, Religionum nomen ipsis inhæsit. Probe ideo (a) Ciaconius ad Constantinianæ Militiæ *exemplar reliqua ferme omnia Militiarum instituta inventa* dicit,

---

(a) *Alph. Ciacon. de signis Sanctissimæ Crucis cap. 2. pag. 10.*

cit. *Immo Pontifices Maximi, qui adversus fidei hostes pios Milites armant adhibito Crucis insigni, hujus Sancti, & religiosi Imperatoris* (nempe Constantini) *exemplum videntur imitati*. Nec Gretserus erit exprobrandus, quia (a) *Milites Militia Constantiniana* ante alios omnes Crucis insigni usos scripserit. Difficile enim dictu videtur, Militiam nullam ante Cruciatæ inventum Christi signaculo instructam fuisse, & pertinaciter adserere, nullam piæ Militiæ formam ad rem bellicam institutam, ac ne *speciem quidem ullam usquam terrarum in hominum mentes irrepsisse*, ut hujus rei adsertor est Maffejus. Ad ineptias res traducitur, si in nomine sistamus, Religionis institutionem in Constantino perquirentes. Scimus Religionem non posse dici Protectorum suorum religiosum Satellitium; desinat, id nos docere. Hoc doceat; Constantinum Crucis insigni suos Protectores non ornasse, nec veluti nobilitatis indicio illustrasse, si absque verecundia dici potest. Ceterum si Religionem negat, Militiam non tollit. Impugnare nomina hoc quidem est, rei substantiam non evertere. Quod si huic Militiæ Equestris dignitatis nomen casu, vel data opera accessit, temporibus, & locis ita exigentibus, non habet, quod reprehendat: Immò si Summis Pontificibus annuentibus, Præfecturam admisit, Maffejo est aquiescendum. Illud & melius, & verius, omnia, quæ in hac Militia recentia inveniuntur adscita; quæ temporum antiquitatem non respuunt, propria esse. Hoc posito, & verborum contentione sublata, omnia non erunt amplius subvertenda, & ad fabulas rejicienda. Interest profecto aliquid inter Militiam à Constantino institutam, & militares cœtus, quos religiosas vocant Militias: Sed tamen sunt finitimæ, & inter illas quædam similitudo est. Nostra primum unde nomen habeat, vides: Reliquarum, ut recens origo, ita est & nomen. Quod si nomen hoc novum accesserit Constantinianæ, male commentum dicetur. Subdue enim nomen, pristinæque ejus formæ eam restitue, non invenies, quid in ea mireris. En ut moventur homines falsa quadam visione, & specie, vocumque facilius, quam rerum substantia trahuntur. Quommodo igitur Constantiniana Militia fabula vocabitur? Num quia in Græco Imperio, dum Constantinopolitana res stetit, hæc Militia non fuerit? Hoc satis probatum fuit. Num quia Angelis Imperialis progeniei desit ornamentum? superioribus Litteris demonstravi. Num quia Summorum Pontificum, qui jura hæc Angelis vel concessere, vel rata habuere, atque ad ipsos Imperium Constantinopolitanum spectare, declaravere, defuerit auctoritas? Audacis esset contra dicere. Cur ergo fabulam? cur commentum? cur chimæram dicit Maffejus? si originem inter Græcos quæramus, non deest: si progressum inspiciamus, non deficit: si Angelorum genus petamus, Imperatorium ostendunt & Græci annales, & documentorum fides: si de Imperii Constantinopolitani juribus quæstionem moveamus, ad Angelos pertinere, decreverunt Ponfitices: si Equites faciendi prærogativam ipsorum propriam esse dubitamus, iterum repetam, Summi Pontifices cognoverunt: si deceptos Pontifices timemus, Motu Proprio, & de plenitudine potestatis concesserunt. Quid modo restat? subsidium ne ab auda-

(a) *Jacobus Gretserus de S. Cruce lib. 2. cap. 41.*

cia petendum, & potestatem concedentis negare; omnia Principis non esse? Quando *omnia sunt Principis*, ut inquit Justinianus *L. Bene a Zenone C. de Quadrien. præscrit.* & Seneca *lib. 1. de benef.*, *omnia Regis esse*. Ex his, Clarissime vir, meam habes de Constantiniana Militia sententiam, cujus originem, incrementum, nominis mutationem breviter attigi. Ratio postulat, ut de illis documentis, quæ adferuntur in illius subsidium, tibi quid sentiam, exponam. Omnia falsa clamat Maffejus; sed non adeo facile falsitatis accusari possunt, cum auctographa sub oculis nec mihi sint, nec Maffejo fuerint: Nec adeo tuto cuncta, tanquam legitima, adoptanda sunt. Medio itaque erit insistendum, ut liceat sine impudentia de aliquibus dubitare. Hoc mihi non sumo, ut omnia vel refellam, vel adprobem: Sed in hac re largiter mercedis indipiscar, si Maffeji plagia omnia detegere valeam. Et primum (si placet) hominem hunc elatum, atque in sublime sese erigentem in istorum monumentorum disquisitione miremur, suam eruditionem, suasque merces jactantem, quasi admirandum suæ mentis inventum, in hisce verbis (a) *jactitata hæc Diplomata, vel nihil penitus probant, vel apocrypha omnino, & conficta sunt; quod nisi plenissime ostendero, nihil actum esse a me in hac quæstione ultro fateri non dubito*. Itaque si quid præclare, & subtiliter iis de rebus dixerit, in medium proferamus. Temporis ordo cogit, ut quæ ab aliis dicta sunt, prius exponamus, ne Maffejana plagia in occulto jaceant, & debitam aliis laudem subtraxisse, ne videamur. Superiori Epistola ad te scripsi, à me lectam Epistolam quamdam, mense Majo datam, anni 1700., celebri viro Antonio Magliabecchio, qua criticæ quædam observationes circa documenta, quæ pro Constantiniana Militia adserebantur, erant comprehensæ. Harum anonymus Scriptor paullo ante, vel circa Majolini Bisaccioni ætatem vixisse autumo, cum ipsius Bisaccioni Apologiam viderim, quam pudet hic referre. Hanc Criticem Magliabecchus Maffejo misit, & ipse in suam inseruit Epistolam. Hujus rei cum habeas historiam, utrumque in comparationem deducamus. Primum itaque, quod occurrit, est D. Leonis Magni ad Martianum Imperarorem Epistola, de qua hæc est Anonymi Critices.

Anonymus.

Quod ad Leonis Magni Epistolam attinet, eam, ut & reliqua Leonis primi Imperatoris, Isaacii Angeli, & Michaelis Palæologi Diplomata, pseudigrapha esse, & a mendacibus Græculis vafre efficta existimo. Nam in omnibus S. Leonis Epistolis nulla prorsus horum Militum, sive Fratrum Con-

Maffejus. (b)

Ad fraudem dignoscendam stilum inspicere abunde. An quicquam in ea legitur, quod Leonis Magni ne dum robur, & elegantiam, sed formmulas, ut ita dicam, & veluti solemnia verba redolescat?

Hactenus nec ejus dictis impellerem, ut hanc a Divi Leonis Epistolis abjudica-

(a) *Maffejus Epistolæ §. 10. ad finem.*
(b *Epistolæ §. 11.*

Constantinianorum mentio extat : nec in ullo Historico , aut Scriptore S. Leonis temporibus suppari , Græco , vel Latino : Deinde nulla fit mentio Anatolii Patriarchæ Constantinopolitani , qui proculdubio hunc Ordinem , si tunc temporis in rerum natura extitisset , adprobasset , & hanc laudem sibi præ Leone Magno , cum quo illi de Patriarchali Sede æmulatio , & contentio intercedebat , cupidius vindicasset . Regula etiam sancti Basilii , quam Leo P. P. pollicetur , huic Epistolæ haud est subjuncta . (Datum Romæ) *in Epistolis vox illa* Romæ , *deest . Ætius , & Studius Coss. extant in Epistolis S. Leonis , & floruerunt anno 454. Baronius Tomo 6.*

judicarem . Ad stilum in brevi Epistola dignoscendum , nec Maffejum ipsum adeo accuratum existimo , ut omnimodam ei fidem habeam : Sed instat .

A pietatis nomine , ut Leo sæpissime , inchoatur quidem NON POSSUM SATIS ADMIRARI VESTRAM PIETATEM , ET AMOREM : *Et nugator vocabulum transtulit , usum non intellexit . Non enim id convertit in titulum , eo modo , quo* CELSITUDINE *nunc utimur , vel* MAJESTATE , *quod Leo perpetuo facit* . LITTERAS PIETATIS VESTRÆ ACCEPISSE ME GAUDEO . (Epistola 8. ad Martianum .)

Graphice admodum , & lepide notat . Quod si semper non facit : Nonne pueriliter facetus erit Maffejus ? Quæ sequuntur , attende . (a) *Quam excellenti pietate , & quam glorioso Clementiæ Vestræ studio in integrum nuper fides Christiana revocata sit , totus mundus agnoscit* . Non valde accuratus , nec subtilis in Critice mihi videtur Maffejus , si , quæ doctrinæ suæ fundamenta sunt , adeo levi impulsu in præceps ruunt . Sed iterum :

Quid dicendum de votis castitatis conjugalis , & obedientiæ , quæ ibi memorantur ? Annon Leonis Magni ævo conveniunt optime ? Quid vero de voto militaris disciplinæ Fratribus una impositum .

Quidnam istuc est ? non enim intelligo ; forsitan Leonis Magni ævo non disconveniunt . Hoc unum certe temporum illorum disciplinæ non convenit [quod Maffejus non vidit] Regularum adprobatio a Romano Pontifice petita ; cum tunc moris esset , ut quilibet Episcopus in propria diæcesi in eas inquireret , & confirmaret ; quod præ ceteris factum fuisset a Patriarcha Constantinopolitano . Convertamus nunc nos ad Leonis primi Imperatoris Diploma , & quid ad illud adnotaverit Anonymus cum Maffeji animadversionibus conferamus .

Anony-

(a) *Epistola 57. S. Leonis Episc. ad Mart. Aug.*

Anonymus.

In Leonis I. Imperatoris Epistola (Principibus Ciliciæ, & Macedoniæ) *suspecta sunt : Cum Cilitia, & Macedonia longissimo inter se distent intervallo : Et Comitum Drivastensium in universa Græca antiquitate nec vestigium extet. Leo Imperator vocat Leonem P. P. Universalis Ecclesiæ Episcopum, & Patriarcham Romanum, qui tituli (quantum memini) Romano Pontifici tunc temporis nondum attribuebantur. Adde, quod tota hæc Epistola stilum omnino Latinum, & quidem posterioris sæculi Imperatorum resipiat, atque exprimat. Illud vero perridiculum, quod Præfectis hujus Militiæ facultatem donet Comites creandi, Manseres, Spurios, & Illegitimos legitimandi &c. cum hæc sub posterioribus Imperatoribus, anno scilicet* 1100. *vel.* 1200. *primum usu accepta fuerint.*

Maffejus §. XI.

Qua auctoritate, qua fide Diplomatis ante mille annos dati exemplum profertur, nemo docet : neque ego singula excuciam, nec quantum diferat ab Encyclica, quam Nicephorus Callistus recitat, Epistola, perpendam. Satis, superque sit adnotasse, Angelos illos commentitios in hac charta Cilitiæ, & Macedoniæ Principes, ac Drivastenses Comites appellari : ac si Principatus isti eo sæculo in rerum natura haberentur, & tanquam Cilitia, & Macedonia contermine Provinciæ essent, & tanquam Comitis dignitas illa ætate regionis Dominium significaret; cum nonnisi post Carolum M. civitatum Judices, & provinciarum administratores, qui ex Comitatu Principis, ut plurimum seligebancur, ea occupare cœperint hereditario jure. An nonne privilegia illa in hoc Diplomate memorantur, legitimandi, Notarios creandi, & *id genus reliqua? Quis hæc nisi post octo sæcula audivit. Mihi certe antiquas membranas aliquando evolventi ante XIV. sæculum data non contigit inspicere. Quid clausulas memorem, quidve formulas recenti avo tantum, & in Curiis nostris adhibitas. Quid* Byzantii *nomen, quid* Manseris *pro spurio vocabulum.*

Hæc est tota Maffejana eruditio, in sui nominis gloriam alienos sudores convertere. Quid quæso addidit, quid demsit. Alienam segetem demessuit, & in suos transtulit acervos. Tertium, quod deturbat monumentum, est Isaacii Angeli Privilegium, de quo

Anonymus.

Isaacii etiam Angeli Imperatoris Epistola, vel Diploma purum putum hominis otiosi commentum est. Ut

Quid ultra Maffejus?

Erutum illud anno 1533. *ex Romani Notarii Tabulariis dicitur, cujus, diligentia certe laudanda in custodiendis*

Ut enim multa omittam, Consulis, Proconsulis, Tribuni, Prætorio Præfecti *&c. nomina jam diu a multis sæculis antiquata, & abrogata fuere*. Doctores, Magistros, Baccalaureos, & Poetas *creandi nullus apud Græcos usus fuit &c. Anni etiam apud Græcos non numerabantur in Bullis, aut Diplomatibus Imperatorum ab Incarnatione Christi, sed a condito Mundo, ut videre licet in Diplomatibus hujus Isaacii in Jure Græco-Romano &c. & aliorum Imperatorum. Supposititium etiam illud hic in fine*, de Mandato Domini Imperatoris, *quod ex Latinorum formulis huc imperite detortum est*.

dis actis Curiæ Constantinopolitanæ. At nescierunt Impostores, ut hæc Diplomata in suspicionem saltem aliquam nos adducerent, Græce etiam proferenda fuisse; Græce enim dabantur, quousque res Constantinopolitana, Græcumque Imperium stetere. Nescierunt quoque vulgari æra signanda non fuisse, sed Græca: ea nempe, qua Redemptoris Nostri natalia anno statuit 5508. sive 5509. Mentio etiam aliqua facienda erat pendentis Bullæ: Sed non omittendus præcipue inseparabilis ab Imperatorio nomine titulus, in Christo Deo fidelis; *Comprobantur hæc omnia ex constanti usu quamplurium Bullarum Græcorum Imperatorum ejusdem ævi, quas in pretioso, quamvis adhuc delitescente Codice Taurinensis Bibliothecæ nuper inspexi: in quibus etiam, veluti sollemnem, in fine diplomatum eam formulam notavi, quæ in Privilegio Simeonis Palæologi, Venetiis XXX. abhinc annis edito a C.V. Jacobo Grandi, legitur; nempe post annum dati Diplomatis* ἐν ᾧ καὶ τὸ ἡμέτερον εὐσεβὲς καὶ τὸ θεοπρόβλητον ὑπεσημήνατο κράτος. *Quid immorer in Isaacii titulo; quid in incongruenti proœmio, & in ea Diplomatis parte, ubi* Baccalaurei, *quoque inter Græcos locum inveniunt? Quid dignitates persequar, quæ memorantur, cum pro iis, quæ floruerunt in Græco Imperio, Latina videantur, & antiqua nomina, eo temporis, & eo loci nunquam recepta*.

Quid tibi videtur, Clarissime Vir; omnia ingeniose arripuisse, & pluribus verbis, atque magis ornata oratione eadem recoxisse. Restant duo Michaelis Palæologi Diplomata, de quibus, tanquam de unico, cum utriusque par ratio, vel quia unum solummodo tunc innotuerat, sic loquutus est.

Anony-

Anonymus:

Michaelis etiam Imperatoris Palaeologi Diploma eadem falsi, & inscitia labe ubique aspersum, & ex prioribus effictum est ad Latinorum omnino, & examussim sollemnia.

Quid Maffejus?

Hac quoque nihilo minus ineptissima. De Civitate Drivasti, necnon Ecclesia Cathedrali una cum Domo Canonicali, *eo tempore ab Angelis fundata nihil loquor, neque de sollemnibus verbis recentiorem Romanam Curiam aperte redolentibus, quam usus etiam compendiario stilo scribendi Drivasten. Dyrrachien. satis prodit. Unum noto: A Michaele annis* 1293., & 1294., *Imperii sui* 33. & 34. *hac Diplomata dicuntur data. At annis his, qui imperaret Michael, erat nullus; si enim de primo sermo est, qui Latinis ejectis, Constantinopolim anno* 1261. *recuperavit, is anno* 1282. *decessit, ut ex Phrantze, Gregora, Pachymere, aliisque discimus: Si de Michaele Andronici Majoris filio, is nunquam imperavit solus, cum ante Patrem objerit, nec ante annum* 1295. *in societatem Imperii a Patre adscitus est.*

Longā nimis, & nota oratio: Nec poterat quicquam notari, quod plus salis habeat. Ab annis, quibus data fuerunt Diplomata, eadem legitima, vel supposititia conjicere licebit? Novum Critices canonem nobis discere datum. Veridica contineant, & temporibus congruentia; si in anno error inciderit, documentis fidem abrogabimus? Male ergo factum, si in tot utriusque Codicis Legibus, tempus conditarum, quod falsum erat, emendare potius voluerunt docti, quam leges rejicere? Non raro notæ temporis in Digestis, & Novellis a Clariss. Norisio sub examen revocantur in eruditissimo Opere de Anno, & Epochis Syro-Macedonum. Hæc audiens, quis non stomachabitur, & molestè feret? Privilegium erat expendendum, & res singulæ in ipso erant examinandæ: Tum exquirere, an *Feudorum* apud Græcos usus, vel notitia: An Formulæ illæ, *nulli ergo hominum liceat hanc nostram confirmationis, decreti, gratiaque paginam infringere, aut ei ausu temerario quovis modo contraire sub pæna indignationis nostra gravissima*, Bullarum Romanarum stilo redoleant; An Græci Imperatores de se ipsis, vel eorum antecessoribus dixissent, *ex Romanis, & Græcis Constantinopolitanis Imperatoribus olim Prædecessoribus Nostris, seu* ut alibi, *ex Romanis Proceribus, moxque olim Prædecessoribus Nostris Constantinopolitanis Imperatoribus*: An de *Serenissimo Imperatore Leone primo* essent locuti: & tot alia erant observanda e Latinorum formulis in Græ-

cum

cum Diplomà translata. Unum etiam mihi reliquum est narrare, ut de fraude judicare possis. Vidi exemplum unius istorum Diplomatum, in quo pendentis Κηρόβουλλης talis descriptio: Sigillum ex rubra cera Diplomati erat appositum; Aquilam cum alis expansis bicipitem, & bina coronula utrique capiti imminente, & cum imperiali superius inter utrumque caput pendente repræsentat. Sigilli inscriptio in pectore Aquilæ continetur in hisce litteris, quibus conjectandis Montfaucono, ejusque Palæographia opus foret. Est & alia inscriptio circa sigilli oram in inferiori parte, quæ vetustate consumta visum fugit. Ego conjicerem antiquum aliquod Privilegium fuisse, à quo cum abrasa fuisset vetus scriptura, novam exaratam ad fucum aliquem faciendum, ut Michaelis Palæologi Diplomà ab imperitis credi facilius posset. Non est prætereundum, quod in Libello (a) quodam relatum notavi: Inter monumenta familiæ Angelorum, unum servari Diplomatis ab Isaacio Angelo ad Sereniss. Venetam Rempublicam missi, latino sermone conscripti, cui subscripsit Isaacius hisce verbis: *Isaachius in Christo Deo fidelis Imperator, & Moderator Romanorum Angelus.* Hæc referenda putavi, ut noscat accusator, non esse objurgandos Angelos, quia hæc Isaacii, & Michaelis Imperatorum, quæ circumferuntur Diplomata, suppposuerint; Nam cum ipsos non latuissent subscriptionum Imperialium formulæ; si hanc rem dolose essent adgressi, astute etiam, accurateque essent exequuti. Plurima quidem vetustatis, & amplitudinis hujus familiæ exempla, & documenta, ipsa integra, & illæsa, custodiebantur, dum res Illyrica adhuc vigebat. Quorum satis amplum, & indubitatum extat testimonium in Exemptionibus à Dalmatiæ, & Albaniæ Syndicis Petro Angelo concessis anno 1475., quarum tale est exordium. *Audita petitione egregii, & præstantis Viri Petri Angelorum, ex primariis Nobilibus fidelissimæ Civitatis Drivasti, cujus Progenitores ab inclyta Romana Urbe originem traxisse constat; Nam tempore quo ipsi Romani Provinciam Albaniæ adepti sunt: Ut Civitatem Drivasti sub eorum Imperio conservare possent, cognoscentes, Progenitores dicti Petri, ex eorum nobili Romana stirpe ortos, strenuos, ac fidelissimos fore Imperii sui, miserant illos, ut Civitatem inhabitarent, & sub imperio suo secure conservarent. Ubi stantes longo tempore sub ipso Imperio, & successive postmodum sub aliis Dominis, qui eidem Civitati dominati fuerunt, tam laudabiliter, & strenue operati sunt, quod pro sua constantissima, & immaculata fide &* AB IPSO IMPERIO, ET AB OMNIBUS IPSIS DOMINIS *laudem, & gloriam reportarunt; quemadmodum* EX IMPERIALIBUS PRIVILEGIIS, ET ALIORUM DOMINORUM *hac omnia clare cognovimus.* Hæc Privilegia, illustri hac familia eversa, ac per Italiam profuga, ut rerum omnium mortalium casus est, amissa, & dispersa fuere. Quorum jacturæ principem caussam dedere Angeli ipsi, diu pro Privilegiis istis inter se certantes, ut sibi invicem eriperent. Sed hæc dicta sufficiant; amissorum enim recuperandorum nulla spes fulget. Et quoniam de hoc genere documentorum dictum est, quæ antiquiori

ΑΓΪΩ
ϔΙΝΑ
ΕΜΟΥ
ΕΪ

K tem-

(a) *Angelico lume &c. Bologna* 1583.

tempori tribuebantur, ad illa, quæ ad recentiora tempora pertinent, est progrediendum. Quo argumento Maffejus noster falsitatis incusat *Votum Sacræ Romanæ Rotæ*. Penes me ejusdem exemplar genuinum servatur, cujus inspicere optanti copiam faciam. Nec ex eo, quod à Maffejo Sententia vocetur, sive alio titulo indigitetur, aliquid fidei, vel auctoritatis amittet: Quæ si proprio Romanæ Curiæ nomine appelletur, Votum nuncupabitur. De hoc P. Dandinus in Censura contra Maffejum ita: *Ipsa etiam Romana Rota, tanquam judicandi nescia, pro hoc Ordine cunctis utrimque perpensis rationibus, Votum olim dedisset irridendum*. De Voti existentia à Dandino non dubitatur: Maffejus negat: Qua fronte, nescio. De Donatione anni 1640., tum de sententia Clariss. I. Cti Prosperi Farinaceii satis abunde ad te scripsi superioribus meis Litteris; ut facile cognoscere possis, nullo veritatis examine præmisso, sibi unice a Maffejo propositum omnia infitiari. Quod ad Bullas Pontificias pertinet, si Bullarum autographa quærit, apud Angelos, vigente eorum familia, steterunt: Sed omnem removent suspicionem solutiones (*a*) a Cameræ Apostolicæ Thesaurariis juxta providas Bullarum largitiones Angelis factæ, adeo ut stultum esset de ipsis dubitare. Miror, accuratum hunc Censorem, in errorem palmarem incidisse, permiscendo *Bullam* Paulli III. cum ejusdem Pontificis *Motu Proprio*; cum prius earum dignoscendarum canonem instituisset. Hæc sunt Censoris verba. (*b*) *Bulla exhibetur pag.* 88. [in lib. Privilegiorum familiæ Angelæ Bulla Paulli III.] *quæ eos adactos dicit, ut vix vitam sustentare valeant: pag.* 76. *alia ejusdem Pontificis ostenditur, quæ potestatem ipsis largitur tradendi equestria insignia*. Hoc vero documentum ad pag. 76. est Motus Proprius ejusdem summi Pontificis, & ab Alexandro Riario Judici, & Mandatorum Pontificium Executori, fulminatorio Instrumento executioni mandatur. Vide, Clariss. Vir, quo vultu modo omnia negare, modo rerum nomina mutare conetur, non veritatem assequuturus, sed eam misere fœdaturus, (*c*) *Non est jam lenitati locus, severitatem res ipsa flagitat*. Quid falsi in Bullis finxerunt Angeli? Interpolarunt veteratores. Quid? Bullas ne, an editiones? Non loquitur certe de Bullis, quas petit visendas? si de illarum editionibus: si quæ minoris momenti per amanuensium, vel typographorum incuriam omissa sunt, ex aliis editionibus supplere licebit. Titulorum repugnantia: Quænam amabo? Quam notat noster castigator? In Bulla eo adacti dicuntur, ut vix vitam sustentare valeant: In alia ejusdem Pontificis potestatem ostendunt monetas aureas, & argenteas cudendi. Hæc ebriosis, & dormientibus trudat: Nobis rem integram exponat, non mutilam, & diminutam, ut alium intellectum capiat; sic enim in Paulli III. Bulla legitur. (*d*) *Fide dignorum relationibus intelleximus, ex illustri Imperatorum familia originem ducitis, ac nequeatis non juxta Vestræ Nobilitatis gradum, sed tanquam privatos, & paupe-*

(a) *Solutiones Cameræ Apostolicæ.*
(b) *Maffejus §. 12 ad finem.*
(c) *Cicero in Catil.* 2.
(d) *Bulla Paulli III.* 1545.

pauperes vivere, vixque vitam substentare valeatis. Quid si in hac quibusdam exemptionibus donantur, non potuerint in Motu Proprio ejusdem Pontificis aliquibus prærogativis ornari? Æquo animo ferre non possum Bullas irrisas, tanquam stultitiis plenas; tantis, tamque insidiosis artibus Angelorum nomen, decusque circumventum; veritatem in tenebris actam. Quod monumentum, quæ auctoritas, quæ fides salva esse poterit? Mirum profecto est, quo Criticos audacia pervenerit, ut quidam sint tam aversi a vero, tamque rigidi in judicando, ut quasi negent ea omnia, quæ oculis videmus. Rideat, & suavissime, si placet, (*a*) *cum inter domestici tabularioli membranas* Privilegia sua magnifice exornata, titulis, dignitatibus, longævaque nobilitate tumentia inspicit; aliena veneretur: Non enim ubique par ratio. Quid singula percurro. Satius sit ad hominis malevolentiam [ut leniori utar verbo] deoperiendam, & ad dignoscendum, qualis sit, qui *errorum tenebras* (*b*) *discutere, ac rem litterariam, transacto sæculo maximis quibusdam viris nequicquam obtinentibus, tam luctuose in Italia prolapsam conatur pro viribus restituere, atque Italica ingenia ad proavorum nostrorum lucem revocare*. Non dicam de hoc homine, quæ abhorrent a meis moribus; sed aliqua tantum retuli, ut intelligas, quid de illius censura sentiendum sit. Non possum oblivisci, hominem hunc alienis indutum pennis, adeo ingentem eruditionis vim jactare. Quibus si spolies, ut reddas unicuique suum, corvuli instar Æsopici, turpi nigredine horrificum conspicias: Ipsius enim propria sunt maledicta, reliqua auctoribus ingeniosissimis arripuit. Credidit Du-Fresne, vir magni nominis, Angelis nostris, imperatorium genus minime concedendum. Hanc ultro opinionem amplexus est Maffejus, eamque non tanquam a Magistro mutuatam, sed veluti propriam mercem vendendam exposuit. Docuit Papebrochius (*c*) nullum ante XII. sæculum Militarium Religionum principium. Ejus doctrinam in suam transtulit Epistolam (*d*) eamque sibi adoptavit. Docti quidam viri arbitrati sunt, Militaris dignitatis originem, & ritus ex more Germanorum fluxisse, e quibusdam Taciti verbis hanc eorum sententiam conjectantes, inter quos memini (*e*) Perezium, & (*f*) Du-Fresne, ut alios omittam. Hujus sententiæ auctorem semetipsum facit Maffejus (*g*). *Et mirum profecto est*, si ipsum auscultemus, *in quot nugas abierint scriptores, Equestris dignitatis originem tradentes. Mirum præcipue, quod in Libris*, de Scientia, quam Equestrem vocant, *innuit a nemine fere inter Militiam, & Equestres Ordines, sive Religiones, ut appellant, probe distinctum esse*. Mirum iterum, si ob oculos non posuisset de Scientia Eque-

K 2 stri

(a) *Maff. §. 13.*
(b) *Idem in Epist. 2. ad Teupulum.*
(c) *Die 23. Aprilis.*
(d) *Maff. §. 3.*
(e) *Perez. de Jure Publico.*
(f) *Du-Fresne ad Script. Mediæ, & infimæ latinitatis in Verbo* Mi'es, *& alibi*.
(g) *Maff. §. 11.*

ſtri Librum, in quâ (a) *nonnihil videtur exercitatus*. Sed num bene cauſſam ſuam egit? Num *funditus examinandam ſuſcepit*? Num in Equeſtri Scientia probe exercitatus? Vehementem accuſatorem, & inimicum nacti ſunt Militiæ hujus illuſtres Equites, qui neſcio qua cupiditate nimium inflammatus hanc aſperam, moleſtam, odioſamque accuſationem ſuſcepit. Quæ in eorum tutelam dici poſſunt brevi narratione ſtrictim collegi: ſi quæ addjicienda, ad majorem ſcribendi diligentiam reſervamus. Tu hæc pauca benigne precor, excipias. Vale.

Dabam Hagæ VI. Idus Decem. MDCCXXI.

KATA-

(a) *Maff. Epiſt.* 1. *ad Teupulum.*



ΚΑΤΑΜΕΜΨΙΣ

IN

JOANNEM ANTONIUM LAZIER.

M. L.

Nob., & Clarifs. V. C. I. R.

S. P. D.

AUDEO, id te mihi suadere, quod ego mea sponte pridem facere decreveram. Nam hominis illius, qui ex Palæologa gente originem mentitur, mihi non erat ignota conditio: Et Librum illum legeram, quem Possonii anno 1722. Laurentius Vigilius de Nicollis Tridentinus edidit, in quo quidem tam absurda exarantur, & falsa, ut pudor illi periisse videatur. Ejuscemodi hominum in regnorum eversione frequens numerus, qui patria, laribusque profugi, ambitiosius in majorum celsitudine gloriantur, ut major eorum infortunii nos subeat miseratio. Sed tribus pæne sæculis ab Orientalis Imperii vastatione elapsis, quod novus homo e latebris, & cæno erumpat, qui singulis Imperialium familiarum cognominibus sibi adscitis, se Principem, ac Magnum Equestris Ordinis Constantiniani Magistrum, ineptissimis historiolis, fallisque genealogiis in vulgum sparsis, adeo felici successu se jactet, ut Magnos Principes ludere possit, nemo non mirabitur. Hoc me suspicionibus adeo implet, ut cum Plautino Charmide non verear dicere:

(a) *Nunquam ædepol temere tinniit tintinnabulum;*
Nisi qui illum tractat, aut movet, mutum tacet:

Pro-

(a) *Plautus in Trinummo.*

Profusa sane ad contexendas imposturas Græculorum licentia aliquando visa fuit, Constantinopolitano Imperio maxime subverso. Sed illorum amentiæ, ne latius in dies serperet, qui resisteret, nemo inventus est. Si qui tamen imperatorio Sanguine vere florentes inventi sunt, qui eos oppugnarent, non defuere : immo ut illos opprimerent, atque ex eorum dignitate penitus dejicerent, mangonibus istis auxilium nonnunquam malignantes præstiterunt. Hujuscemodi ærumnas Angeli aliquando experti sunt. Res tamen infecta remansit, nebulones detecti, audaciæ occursum. Sed quid temporibus ullis audacius factum? Quæ impostura confidentius consuta? Malus præstigiator impudentissima impudentia venit ultro irrisum totum terrarum Orbem, & quæ neque esse possunt, neque fando unquam accepit quisquam, profert mendax. Se summo genere natum prædicat, & proavorum longam seriem sibi fabricavit. Hos inquisitos non omittam, & nisi umbratiles hasce larvas detegam, me lusisse operam dices. Embolium in hac ridiculorum scena faciunt Emanuel II. Palæologus Imperator, & Theodorus ejus filius : reliqui, qui in scenam prodeunt, Viri Principes, aut ex Palæologa gente non sunt, aut personæ omnino fictæ videbuntur. (*a*) Ut deceptoris fraudes deoperiam, imposturas cum imposturis conferam, & alienos surculos in falsi hujus Palæologi arborem insitos ostendam, ut de illa dici possit :

Miraturque novas frondes, & non sua poma.

Sic plagiarii inverecundia in subtrahendo ex alienis familiis, tum documenta, tum gentem ipsam, melius palam omnibus fiat. Circa initia decimi septimi sæculi Venetiis degebat quidam Aloysius Blancus, qui Numeratoris operam Magistratui, qui mercium ex Urbe egressui præsidet (*all' Officio dell' Uscita*) præstabat. Huic filius fuit Vincentius, quem res magnas animo versantem, Palæologi illustre cognomen ex pluribus publicis (*b*) documentis, ex quibus paternum genus, quale fuerit, dignoscitur, usurpasse constat : Imaginariam genesim effinxit, progeniem suam alioqui humilem, & despectam ab Emanuele Imperatore Palæologo ducens, Diplomata confecit, quæ Friderico III. & Maximiliano II. Imperatoribus Germanorum tribuit, atque typis dedit Venetiis una simul cum quibusdam aliis falsis paginis, quibus tota hæc machina in hanc, quam ad te mitto arborem (*c*) erecta fuit. Non dubito, quin statim mireris, atque stomacheris, arborem utramque inspiciens, stultumque nugatorem ridebis, qui fraudes tam apertas diu latere putaverit. Utramque genesim si conferas, deceptiones per se deoperientur: Et magis conspicuæ fient, si in documenta, quæ adferuntur, inquiramus. Non in singula inquisitio fit, quæ vel nulla sunt, vel omnino falsa, vel aliis surrepta; quædam solummodo perscrutari contentus. Quod apprime desideratur, ad fidem de Emanuele Petro facien-

(a) *Vide Arborem pag. 84.*
(b) *Testam. Aloysii Blanci 1584. Fides Obitus Officii Salutis Venetiar. 1584. 29. Septembris. Instrum. Venditoris Vincentii 1623. 25. Julii. Instrum. Cessionis Lucretiæ Vincentii Matris 1622. 24. Octobris.*
(c) *Arbo Blancorum pag. 84.*

ciendam, tanquam fabricæ hujus fundamentum, umbratile est, & merum figmentum: Quo cadente totum Blancorum Palæologorum genus eodem tempore evanescit. Theodorus enim Selybriæ Despota uxorem habuit Cleope, Ruperti Malatestæ filiam, cum qua Helenam Joannis II. Regis Cypri uxorem genuit. Hac fato functa anno 6941. nempe 1433. ab Incarnatione Dominica, aliam duxisse fertur, nomine Bartholomæam, filiam Neri Acciajoli, ex qua nullis, præter Helenam, filiis relictis, ex peste objit Selybriæ anno 1448. (*a*), cum longe antea ditiones omnes suas, & oppida resignasset fratri Constantino, habitumque Monachi induisset. Itaque Theodoro Selybriæ Despotæ, qui etiam cum Theodoro Porphyrogenito ejus Patruo inscienter confunditur in Diplomate, quod Friderico III. tribuitur, filius Emanuel Petrus, utriusque genealogiæ communis, & commentitia radix, supponitur. Hic Aloysii, Victoris, & alterius Theodori Pater fingitur a Vincentio Blanco, ac pro testimonio recitatur Frideri III. Romanorum Imp. Privilegium, pridie Idus Octobris 1491. datum; In quo Comes, & Magnus Peloponnesi Despota Aloysius ille vocatur: *Emanuel Petrus Palaologus, cognomento Blancus, Pater tuus, quem Nos inter cariores Nostros habuimus amicos, Dux fuit, & Comes Epidauri, Dynastesque Macedoniæ, & Valachiæ* [hæc adeo ridicula sunt auditu, ut referre pudeat] *qui Venetias ex Aula Serenis: Joannis II. Regis Cypri profectus, Elisabetham Pollum, summo loco, atque adeo summo Patre natam, Cæsareis nostris auspiciis uxorem duxit, ortus ex Theodoro Palaologo Porphyrogenito, strenuo, fortissimoque Peloponnesi Principe, & filio quarto Emanuelis Imp. XCVIII. Orientis, duorumque Cæsarum fratre.* O ineptum dolorum architectorem, qui tot mendacia brevi compendio indocte nimium cumulavit? Hoc eodem Diplomate modo utitur Joannes Antonius, falso Lascares Palæologus (*b*) ad genesim suam consuendam. Satis dolose: Quid tum inde? Aloysio nullus filius datus: Theodoro supponitur Joannes Theodorus: huic Georgius: Georgio Demetrius, quos omnes a Romano Senatu, quasi & ipse dignitate imposturam probasset, tanquam Palæologos habitos asserit. Hæc ridiculissima, & inanissima, credo, videbuntur; Sed iisdem ineptiis fucata, fraudis, & stultitiæ plenissima omnia cognosces, si ad reliqua animum addjicies. Pergit Blancus genealogiam suam exarare, atque ex Aloysio Hieronymum, ex Hieronymo alterum Aloysium genitum ostendit, atque Maximiliani II. Privilegium, anno 1576. Kal. Augusti datum, in testimonium adducit; in quo Aloysius Hieronymi filius, atque alterius Aloysii nepos vocatur in hisce verbis: *Dilecte Comes Aloysii, cujus Nobilis, egregiusque Pater Com. Hieronymus Blancus Palaologus Serenis. Ferdinando Cæsari, Genitori Nostro, Nobisque, & Nostris proceribus se semper dignum suis majoribus, atque adeo incliti Emanuelis II. Constantinopolitani Imp. digniorem* ABNEPOTEM *prabuit:* Hinc Privilegia confirmantur, & præsertim quæ *a recol. Mem. Divo Friderico III. Lintzi anno*

(a) *Phrantzes lib. 2. cap. 3. 19.*
(b) *Anacephalæosis, seu Brevis res Diplomatica &c. Laurentii Vigilii de Nicollis. Possonii 1722. pag. 73.*

218

anno MIDLXXXXI. *concessa olim Com. Aloysio Blanco Palaeologo, Magno Peloponnesi Despota, ejus* AVO, *fuere*. Quid adfert fictus hic alter Palæologus? Imprudentia labitur malus dolorum faber. Hoc idem Maximiliani II. Diploma allegavit: Demetrio filium Hieronymum tribuit, & Hieronymo liberos tres; alterum nempe Hieronymum, Alexium Arianitum, & Aloysium Blancum. Certo, si sanus fuisset, probationem aliam præter Maximiliani Diploma ad fidem adstruendam, adhibuisset. Nonne Romanum illud Diploma, quod pag. 47. illius Libelli, a Laurentio Vigilio de Nicollis elucubrati, quem Joannes Antonius Possonii typis dedit anno 1722., fraudibus suis magis concinnum fuisset? Sed quoniam opportuno insperato modo res accidit, fallacia alia fallaciam trudat. Vix satis oculis meis credidi, cum Maximiliani Diploma iterum legens, inspexi, Hieronymum Blancum Emanuelis II. *abnepotem* vocari, & in arbore Joannis Antonii inter Hieronymum, & Emanuelem II. septem gradus intercedere. Lepidius factum a Blanco, qui ut vero construeret similiorem genesim, Patrem Emanuelem constituit, Theodorum filium, alterum Emanuelem Petrum nepotem, Aloysium pronepotem, cui substituit Hieronymum, ut recte Emanuelis Imp. *Abnepos* appellari posset. Sed forsan putavit ille Laurentius de Nicollis, *Abnepotis* nomen adeo latum esse, ut omnibus descendentibus commune esset: Substulit tamen nomen AVI, quod in Privilegio eodem, Venetiis typis dato a Vincencio Blanco, legitur: Ubi de confirmandis Privilegiis agitur, quæ olim concessa fuere a *Friderico* III. *Lintzi anno* MIDLXXXXI. *concessa olim Co: Aloysio Blanco Palaeologo*, M. *Peloponnesi Despota* TUO AVO, nempe avo secundi Aloysii. Vah quam doctis modis nobis ludos faciunt. Non negabis, utrumque comœdice astutiam perfecisse suam. Sed aliud scitum syngraphum scripsit Palæologus hic noster [scripsisse dico, quantum ex ipso conjecturam facio.] Haud difficile enim est noscere, ipso impulsore hoc commentum factum, cum in **Privilegio Incolatus a** Cancellario Regni Hungarici dato, anno 1720. memoranda non veniant, quæ in illo narrantur: Nec aliud simile visum sit, in quo de natalium splendore, ac genere supplicantis adeo diserte dissetatur. Heu nugator impudenter impudens, illuxit tandem tibi pessimus dies, ut offucias offuciis condias, nobisque oggeras. Hæc in plateis, & triviis magnidicis mendaciis venditent circulatores, non nobis has tenebras obtrudant. Potuit ne quicquam stultius excogitare audacia? Imposturas novas veteribus imposturis attexuit, ut tota illa genesis ex gente ficticia, & commenticia conflata usque ad ipsum impostorem coalesceret. Mirum est, si ad hanc amentiam natura quosdam homines peperit, voluntas exercuit, ut nisi falsa cogitent, ac exequantur. Cui melius illud Plautinum?

Hæ tabellæ te arguunt, quas attulisti.

Potuit ne stultius ineptiri? Ex una parte temeritas pugnat: ex altera audacia: Hinc amentia: illinc deliria. In hujuscemodi deceptorum certamine, ac prœlio victor videbitur, qui magis fraudatione pollebit, qui spoliorum grandiorem prædam reportabit, qui uberiorem quæstum ex hoc novo aucupii genere perceperit. Eruperat circa annum 1626. Vincencius ille Aloysii Blanchi filius, qui Venetiis discedens, patriamque deserens, ubi innotuerat, Romam clam petierat, seque Palæologum simulaverat, beneficium aliquod sub Palæologi

specie

ſpecie aucupaturus. Sed facili negotio larva illa detecta, audacem inceptum, conatumque perficere non potuit, nihil plurium Chartarum falſarum, ac Privilegiorum Friderici, & Maſſimiliani adminiculis adjuvantibus. Icciгco Vincentium hunc ex ſua genealogia eliminavit Joannes Antonius, ratus, fraudem melius latere potuiſſe, famoſo illo, & veteri impoſtore prætermiſſo: Reliquos Blancos huc illuc diſperſos voluit, ut deleret priſcæ veſtigia fraudis. Hæc tamen perturbatio, & immixtio incauto veteratori minime profuit; Fraus enim omnis tandem patere debuit. Sed erat progrediendum, atque eamdem dolorum viam inſiſtendum. Secundo Hieronymo (a) Joannes Andreas, & Petrus Angelus tributi: Huic filius adſignatus Angelus Maria. Tres iſtos e familia Angela in hanc fictitiam, & chimæricam translatos, nec ab ipſis unquam Palæologorum cognomen uſurpatum, ſcias. Quod demonſtrant tum Ferdinandi II., tum Leopoldi ejus Nepotis Impp. Diplomata, annis 1630., & 1671. ipſis conceſſa, & a ſtultiſſimo nebulone impreſſa pag. 99., & 104. Angelum Mariam, qui fuerat Michaelis Angeli, Petri filium fecit, & ex Petro Patre, & Joanne Andrea filio duos fratres ſociavit: Nec Angeli cognomen, quod ſumſit, cum plagii crimine abſolutum ſinet. Privilegia ipſa (b) perlegenda ad te mitto, ut facilius ab iſtis technis me expediam. His everſis, & dejectis inaniſſimis fundamentis, Romanæ illæ Teſtimoniales Litteræ, quæ pagina 47. leguntur, cum omnium iſtarum fabularum, ac majorum compendium ſint, omnino cadunt. Hæc de documentis, quæ falſo enunciantur dicta ſufficiant. Nihil interim de Rocco Petro Avo, deque Franciſco, Joannis Antonii Patre, ſollicitus ſis, cum dolos dolis, fallacias fallaciis, plagia plagiis continuo implicita, inſita, convoluta videas: Nec operæ pretium putem, cujus gentis ſit quærere. In qua exploranda alii otium terant. Non tamen me piget, quæ in Libello quodam, Intimeliorum typis dato anno 1724., excerpſi, ad te ſcribere. Dum compoſitis mendaciis verſipellis iſte Joannes Antonius, M. Magiſtri Militiæ Conſtantinianæ imaginem geſtaturus, genere ſuo, moribus, vultu, habituque poſitis, Palæologorum, Laſcarorum, aliaque illuſtria cognomina, alios mores, habituſque, alioſque vultus ſumebat; ſuo damno Sycophantæ odor ad Joannem Paullum Laſcarem Intimeliorum Comitem pervenit, qui ut maximam hanc moleſtiam a ſe, & a familia ſua averteret, libellum Carolo VI. Romanorum Imperatori obtulit, in quo hominis genus, mores, aſtuſque delineantur: Deinde ſupplici modo Cæſar rogatur, ut malo huic occurrat, & ludificatorem iſtum Cruce, & cruciatu mactet, ne diu inultus omnes ludificet. Qua data occaſione oſtenditur, gentem Lazier viliſſimam eſſe, & ſemper in oppido Perlenſi, quod eſt Ducatus Auguſtæ Prætoriæ, vitam inopem, & aratro inſervientem egiſſe. Hæc omnia plenis probationibus firmantur, ut luce meridiana clariora videntur. Mirari itaque non debemus, ſi impurus iſte fraudum machinator inventa hæc vaniſſima ſummis Principibus, nihil ſuſpicantibus impoſuerit, & aliquod, qualecumque ſit,

L Diplo-

(a) *Vide Arborem pag. 84.*
(b) *Diplomata Ferdin. II. 1630. 3. Nov., & Leopoldi 1671. 25 Junii.*


Diploma subrepserit. Omnia enim falsa sunt, quæ jactantur. Quid memorem, istos de Lazier, *recognitos ab universali Ecclesia tanquam descendentes ab Imperiali, Regalique Familia* Palæologorum, & *heredes* (*a*) *Constantini Magni, & jure sanguinis* (*b*) *perpetuos* M. *Magistros Angelici Ordinis Equitum S. Georgii*, & non interrupta successione Imperii, & Præfecturæ jura a majoribus accepta, ac *incohata divino favore* (*c*) *ab inclito Constantino Maximo*, ad heredes suos transmisisse? Quid Leonis? Quid Eraclii? Quid Michaelis Palæologi Diplomata? Quid Calixti III.; Pii II., Sixti IV., Innocencii VIII., Pauli III., Marcelli II., Pauli IV., Sixti V. Bullas, Constantinianæ Militiæ regulas, & instituta adprobantes? Quid de auctoritate *creandi, & admittendi* (*d*), *seu creari, & admitti faciendi sanctissimo, & Angelico Crucis Ordini Equites sub titulo S. Georgii &c., a Patriarchis, Episcopis, Archiepiscopis, tum Græcis, tum Armeniacis, & Syriacis latissime contestata*? Hæc, & istis suaviora in Testimonialibus Archivii Romani Litteris leguntur. Nec taciti omnino Intimeliorum Comitem, qui & ipse Constantianæ Militiæ administrator jure, ut puto, cognaticæ successionis, haberi vult, sequemur. Hæc tibi ridiculi caussa, me joco dicere putabis. Sed nec ego unquam usquam tam ridicula me audivisse fateor. Nosti, Intimeliorum Comites Lascaricæ familiæ cognomen adsumpsisse, postquam Eudocia (*e*), seu Irenes Lascaris a Michaele Palæologo uxor data est Guillielmo Intimeliorum in Liguria Comiti. Hæc filia fuit Theodori Vatatzes, cognomento Lascares propter maternam originem; nam Vatatzarum gens Adrianopoli natales suos debet. Cum imperasset Theodorus annos III., menses decem, fato functus est anno 1259. Liberos quosdam ex Helena Bulgara reliquit: Joannem, Irenem, Mariam, Theodoram, & Eudociam, ut Gregoras, seu Irenem, ut Surita. Joannes nonum, ut Pachymeres, ætatis annum attigerat, cum Pater obiit: a quo Musalonis Protovestiarii tutelæ relictus est. At Musalone in æde sacra Michaelis Palæologi Magni Domestici factione interemto, Michael imperium usurpavit, pupillo Joanne paullo post excæcato. Irenes primogenito Constantino Techo Bulgariæ Regi nuptum data: Maria Nicephoro Angelo Comneno, Ætoliæ Despotæ, Michaelis Despotæ filio: Theodora Mathæo de Valaincourt Gallo: Et Eudocia Gullielmo Intimeliorum Comiti nupta fuit. Hunc Gullielmum quidam mercaturæ operam navasse ajunt, Ut ut sit, ex hoc matrimonio illustris prodiit familia, splendorem, e Lascarica gente non exiguum mutuata. Ex his vides, quale jus Intimeliorum Comiti, tum in Constantinopolitano Imperio, tum in Militia Constantiniana competat. Hæc ossa hos omnes

(a) *Libro supracitato pag.* 54.
(b) *Pag.* 51., & 54.
(c) *Pag.* 59.
(d) *Pag.* 60.
(e) *Du-Fresne Famil. Byzant. num.* 38.


omnes movit; Vos itaque inter vos partite Lascaricæ, & Palæologicæ gentis propagines inclitæ, & hanc Imperii, & Militiæ Constantinianæ spem dividite. Hæc ad te scripsi, Clariss. Vir, ut impostorum fraudes aliquo modo dignosceres; Quoniam tollendum est omne mendacium, ne ultro ab istis falsiloquis ludificemur. Plura scriberem, si tempus pateretur, & nisi ad te hæc ipsa nimis multa essent. Vale.

Dabam Leodii III. Idus Sextiles MDCCXXIII.

Arbor ab Jo: Antonio Lazier, falso Lascare, effîcta.



Arbor a Vincentio Blanco effîcta.



Manueli Imper. quattuor filios tribuit Joannes Antonius, nempe Joannem VIII. qui Patri in imperio successit, Constantinum XI. qui Fratri, Manuelem, & Theodorum; Sex vero filios tribuunt Ducas Cap. 23. pag. 74. & Phrantzes, (inter quos ille Manuel non admittitur): nempe primo-genitum Joannem, natum anno 1391., cui uxores tres fuere: Theodorum secundo-genitum, cui uxores duæ, filia unica: Andronicum tertio-genitum: Constantinum quarto-genitum, qui in excidio Constantinop. occisus fuit: Demetrium; & Thomam natu minimum, cujus filii fuere, Manuel, Andreas, Sophia, sive Zoe, & Helena.



ΔΟΚΙΜΑΣΙΑ

IN EPISTOLAM

CLARISSIMI VIRI.

GASPARIS SCIOPPII.

M. L.

Nob., & Clariſs. V. C. I. R.

S. P. D.



EREOR, ne inſuave tibi futurum ſit in rebus illis verſari, quæ nihil certitudinis, nihil firmitatis, nihil denique probabilitatis in ſe habent: Sed tamen ita me movet unius viri exiſtimatio, ut ejus Epiſtolam, in qua Angelorum genus recta ab Iſaacio Angelo deducitur, ad te mittere non erubeſcam. Noverat vir doctus ex quibuſdam certis documentis, Angelos Drivaſtenſes ex Conſtantinopolitana familia fluxiſſe: Sed ut genealogiam contexeret, everſa Epiro, totaque Græcia, & Conſtantinopolitano Imperio vaſtatis, publicis, privatiſque monumentis partim igne, ferroque direptis, partim in tanta rerum perturbatione amiſſis, deficientibus etiam ſcriptorum traditionibus, nepotum ſeries, per quam ad Angelos noſtros deſcenderet, eum latebat: Tamen geneſim non interuptam perſtringere, ſibi propoſuerat. Quod niſi eſſet aſſecutus, reliqua omnia pro nihilo habebat. Itaque Iſaacii Angeli Alexius, ex prima uxore filius, gentis hujus caput, & origo eſt. Alexio poſtumus filius Alexius Andreas datur; eumque Patrem Michaelis Angeli, Patræ Principis, facit. Ex hoc Michaele alium Michaelem Petrum, agnomine Spanum, genitum dicit. Atque hiſce quattuor gradibus longum duorum ſæculorum, & ultra ſpacium dimetitur, & ad Andream Angelum, qui a Barletio celebratur, progenies Angelica trahitur. Quot fabellæ brevi compendio ſummatim

matim colliguntur? Quibus testimoniis hæc progenies conglutinatur? Quisnam de Alexio Andrea affirmat? Anne Scioppius fidem facit? Quanam conjectura hoc assecutus est? Sed stomachari desinamus, & postumum hunc morigeræ loquacitati demus. Alexio Andreæ Michaelem Patræ Principem suppofuit. Hic est ille Michael, sive ut a Pachymere (*a*) vocatur, Demetrius, filius Michaelis II. natu minimus, cujus superioribus meis Litteris memini. Hujus filii Andronicus, & Constantinus, non autem Michael Petrus, cognomine Spanus, quem somniavit Scioppius. Fatetur enim nullam apud Historicos mentionem haberi, nec Alexii Andreæ, nec Michaelis Petri: attamen satis pro veritate dictum vult, usquequo nemo ipsos negaverit. De hoc eodem Michaele Petro Spano legitur in Carolo Du-Fresne (*b*), Patrem fuisse Andreæ Spani Ducis, & Comitis Drivastensis, ex quo Angelos progn atos esse, videtur innuere. Sed non semper in familiis exarandis rectum se præbuit Criticum, cum aliquando a Flavio Comneno, quem sæpius citat, deceptus fuerit. Quæ reliqua sunt tum in prima, tum in altera genealogia Scioppii non persequar singula. Epistolam ipsam ad te mitto, ne plura scribam. Vale.

Dabam Middelburgi Kal. Nov. MDCCXXIII.


Serenis-

(a) *Pachym. lib. 6. cap. 6.*
(b) *Du-Fresne Famil. Byzant pag. 351.*

Sereniſſimo Prencipe.

HO' havuto quelle di V. A. degli 4., *&* 9. *di queſto meſe. Il Reſidente di Colonia mi ſcrive degli* 27. *di Marzo le ſeguenti parole.* Secretarium Vualderodium de notis negotiis commonefeci, qui ſancte repromiſit mihi, quod petitis ſatisfacere velit. De juribus Taxæ pro Diplomate Principis Macedoniæ hactenus nihil certi habere potui. Ubi res erit ſub manibus Taxatoris, intelligam, & perſcribam. Bina alia Diplomata vult ipſe Secretarius tranſmittere Oenipontem ad D. Paulum de Taxis. Comes de Friſtenberg dicit ſe brevi miſſurum gentis ſuæ Genealogiam, ut addatur reliquis familiis Principum, qui ab Imperiali Comnena Angela originem ſuam repetunt.


Mi ſcrive ancora il Conte di Svarzenberg, che non tralaſcia di ſolecitar le dette Patenti. Così ſpero, che ſaranno hormai ſpedite, & che il detto Reſidente di Colonia, come Agente della Religione di S. Giorgio, ne darà ragguaglio a V. Alt. Prima che ſia publicato il libro, Inſtauratio S. Conſtantinianæ Militiæ S. Georgii, *non poſſo ſperare, che niſſuno di queſta Nobiltà noſtra ſia per domandar l'habito. Et così ſtarò aſpettando la Chronica dell'Ordine, che 'l Sig. Co: Biſaccioni mi vuol mandare: al quale hò moſtrato, che la Genealogia di V. Alt. s'hà da far così.*



Questa Genealogia non patisse nissuna oppositione . Al grado 21. *che* Alexius Andreas *fosse figlio di Alexio Imperatore & nipote d'Isaacio Imperatore padre di Michaele. Non si trova negli autori Greci, non vien però contradetto, & hà verisimilitudine, poiche l'Imperator* Johannes Cantacuzenus *dice, che* Johannes Angelus (*al* 24. *grado*) fuit filius Andronici Angeli Protovestiarii, Imperatorio sanguine florens, nobilitate corporis omnes antecellens, *& che suo Padre fu* Michael Dux, unus ex Principibus Patræ, & Thessaliæ circumjectæ, mater autem fuit Anna soror Andronici senioris Palæologi Imp. figlia Michaelis. *Tutto questo dice quell' Imp. parte nella Historia, parte nella Patente, colla quale fà quel* Johannem Angelum Principem Thessaliæ.

Che poi Michael Angelus dictus Petrus Spanus *fosse figlio di Michaele, & fratello di Andronico Angelo non vien contradetto da nissuno, & si hà da creder alla Traditione.*

Nella Genealogia mandatami dal Sig. Bisaccioni si trovano cose contradette da tutti gli Historici. Come al grado 19. *che Constantino sia figliolo di Alexio Comneno Imp. perche dicono tutti, che fu suo genero, & hebbe la sua figlia Theodora per moglie. Et al grado* 22. *Che Michele* Despota Romaniæ & Epiri, *genero di Teodoro Lascari Imperatore, & Padre di Niceforo fosse discesô da Isaacio Angelo Imperatore. Perche espressamente dicono gli, Autori che questo Michele* fuit filius nothus Johannis Angeli Sebastocratoris, & habuit filium nothum Michaelem Angelum *la discendenza di questi è tale.*



Tutto

Tutto questo vien scritto dagli Autori Greci. Donde si vede, che nella Genealogia fù fatta equivocatione nel nome di Michaele. Perche il Michaele II. al grado 4. Padre di Niceforo non discese dall'Imp. Isaacio Angelo, ma da Giovanni Angelo Sebastocratore, & di questo non si deve dubitar niente.

Resta solo una cosa, che può esser di qualche pregiuditio a V. Alt. cioè, che gli Autori dicono, che Isaacio Angelo Imp. fù figlio di Andronico Angelo [al grado II.] & nipote di Costantino Angelo. Il qual [dice Niceta Choniata] non fu di Casa Comnena, ma Angela, genere non admodum nobilis, sed valde formosus. *Et chiama* Johannem Angelum Sebastocratorem, patruum Isaacii Imp. *il quale* repudiato Angeli cognomento, ut humiliore, Comnenus appellari voluit.

Hò scritto al Sig. Bisaccioni, come s' hà da uscir da questa difficoltà, cioè con dire, che fù parte errore, parte malignità di Niceta. L'error fù, che Alexio Comneno Imperatore hebbe un figlio Andronico Comneno, & una figlia Theodora moglie di Costantino Angelo, dalla quale nacque Andronico Angelo. Et così si equivocò da un'Andronico all'altro, essendo vero che Isaacio Angelo Imperatore fù figlio di Andronico Comneno, nipote di Alexio Comneno Imp. e non figlio di Andronico Angelo, ne nipote di Constantino Angelo, come Niceta dice, & mette ancora il Bisaccioni nella sua Genealogia.

Della malignità si può addurre il testimonio dell'Imp. Giovanni Cantacuzeno, che nella Prefatione della sua Historia, scrive queste parole.

Etiam illi, qui a Theodoro I. Lascari ad Michaelem Paleologum II. res gestas composuerunt, veritatem valere jusserunt, & prout erga eos erant animati, de quibus exponebant, ita rerum nobis memoriam tradiderunt: satis magnam laboribus suis mercedem statuentes, vel immodice commendare, quos diligerent, vel despicabiles reddere, quos odissent.

Con ragion dunque si può dire, che si deve dar più credito alla Patente dell' Imperator Isaacio Angelo, che à quanto dice Niceta.

In quanto alli Statuti di San Giorgio, metto in consideratione a V. Altezza che questi nostri Todeschi non ponno sentir niente di digiuni. Et così sarà necessario, di metterui dentro, che ne' luogi Settentrionali, dove l'aria ricerca più nutrimenti, gli Cavaglieri in vece di digiunar dicano delle orationi. Altrimenti son sicuro, che non v'entrarebbono. Che è quanto posso scriver di presente a V. Alt. alla quale riverentemente baccio le mani pregandole dal Cielo ogni contento. Da Vveingarte agli 24. d' Aprile 1631.

Di V. Alt. Ser.

La Impresa mia pare camini assai bene, & che per tutto il Maggio sarà stabilita ogni cosa, siche all' Autunno si possa sentir qualche nuova d' importanza.

Devotissimo Serv.
Gaspare Scioppio.

M TYPO-

TYPOGRAPHUS LECTORI.

Amice Lector. Diligentia Noſtra fieri non potuit, ut parvum hunc Libellum mendis omnibus omnino expertem tibi offerremus; Ut in mole tam exigua nullum ſentires incommodum. Porro ut tibi conſulamus, viſum eſt illas ſaltem emendationes, ſine quibus pede inoffenſo in hoc Libello pergere nequis, hic ſubjungere, miſſis illis, quæ nec te offendere, nec moroſe in lectione detinere poſſunt. Vale

Pag.	*Lin.*	*Error.*	*Correctio.*
8	35.	*menſis*	*menſis*
15.	2	luminæ	lumine
	3	nitidori	nitidiori
16	22	Nicephoris	Nicephori
26	5.	ſum, ſerit	ſumſerit.
27	31	pœne	pæne
33	4	*egreſſus*	*egreſſurus*
37	37	cujus inſcribebatur M. Magiſter.	ſe inſcriberet M. Magiſtrum dictæ Militiæ
48	2	*inſtituiſco*	*inſtituiſſe*
	36	*Carceri*	*Carcere*
46	10	penderis	ponderis
49	21	ſuſtinebant	ſuſtinebat
56	2	*Chriſtus*	*criſtis*
57.	9	horum	horum
	24	*ingreſſum*	*ingreſſum*
61	14	παλαιυκαςρίτης	παλαιοκαςρίτης.
62	3	*nimium*	*numerum*
66	16	Militenſes	Melitenſes.
11	8	figlia	filia

SYL-

S Y L L A B U S
EPISTOLARUM.

NOI

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed approvazione del P. Fr. Tomaso Maria Gennari Inquis.^re nel Libro intitolato *Inquisitio in Epistolam Scipionis Maffeji Marchionis, de Fabula Equestris Ordinis Constantiniani*, non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Prencipi, e buoni costumi, concediamo Licenza a *Steffano Tramontini Stampatore*, che possi esser Stampato, osservando gl' Ordini in materia di Stampe, & presentando le solite Copie alle Publiche Librarie di Venezia, & di Padova.

Dat. 13. Settembre 1725.

(*Gio: Francesco Morosini Kav. Ref.*
(
(*Pietro Grimani Kav. Proc. Ref.*

Agostino Gadaldini Segretario.

